



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

Liber CXXVII.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)



*Henricus VIII. librum suum contra Lutherum Leoni X. nuncupat.*

HISTORIÆ  
 ECCLESIASTICÆ  
 LIBER CXXVII.



LEO X. PONTIFEX. MAX.  
 CAROLUS V. IMPER. OCCID.

§. I.

*Lutherus ejusque Sectatores per novam Bullam a Papa anathemate percussi.*

**Sæcul. XVI.  
 A.C. 1521.**

**E**lipsis induciis, quæ Luthero ad resipiscendum, atque ad errores suos tandem ejurandos concedebantur, Leo Pontifex procurante Aleandro A-

*Bull. Const. in Leo. X. Raynald. an. 1521. c. 1.*

*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. A post-*

Sæcul. XVI.

A. C. 1521.

Bzov. to. 19.

Pallavicin.

l. I. p. 25.

postolico ejus nuncio novam Constitutionem edidit, cujus summa hæc est: *Licet nonnulli ex iis, qui Martini errores secuti fuerunt, errores suos, & hæresin in manibus nostris ejuraverint, & in nonnullis Germanicæ civitatibus libri, & scripturæ didi Lutheri juxta mandata nostra publice fuerint concrematae, ipse tamen Martinus (quod non sine gravi animi molestia referimus) in reprobum sensum datus, non solum errores suos revocare, & de revocatione hujusmodi nos certiores facere, seu ad nos venire contempsit, sed etiam tanquam petra scandali contra nos, & hanc sanctam Sedem, fidemque Catholicam scribere, & prædicare, & alios ad hoc inducere non veritus est. Quapropter sicut jam ipse hæreticus declaratus est, ita & alii etiam ipsius pestiferam hæreticorum sectam publice sequentes, eique palam auxilium, consilium, & favorem subministrantes, ipsumque in sua inobedientia & contumacia consoventes easdem pœnas incurrunt, & hæretici merito sunt habendi, atque ab omnibus Christi fidelibus evitandi. Civitates quoque, & cetera loca, in quibus ejusmodi homines pro tempore fuerint, Ecclesiastico interdicto supposita esse declaramus, atque universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cunctisque Ecclesiasticis, & Religiosis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ mandamus, ut eosdem*

dem anathematizatos, & hæreticos in Ec-  
clesiis, Dominicis, & aliis festivis diebus, Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.  
dum major inibi populi multitudo convenit  
ad divina, cum omnibus cæremoniis in simili  
casu observari solitis publice denuncient.  
Data est hæc Constitutio Romæ tertio  
Nonas Januarii, seu tertia die ejusdem  
Mensis. Verum Lutherus, ejusque Se-  
ctatores nonnisi magis inde exacerba-  
bantur, falso persuasi, quicquid a Sede  
Apostolica emanaret, id omne ex Pon-  
tificis ac Curia Romanæ quæstu, ac  
cupiditate fieri.

## §. II.

*Comitia Wormatiæ a Cæsare  
celebrata.*

Aleander, ut sinistram ejusmodi opi-  
nionem dissiparet, ubique divulga-  
bat, quod Lutheri errores reapse tales  
essent, lites vero cum Luthero haud spe-  
ctarent summi Pontificis aut Curia Ro-  
manæ emolumenta, cum hujus Docto-  
ris opiniones non abluderent ab erro-  
ribus, quos Constantiense Concilium  
merito damnasset adversus Wiclesum,  
Joannem Hussum, infausta prorsus Ger-  
manis nomina. Nec his contentus Ale-  
ander, tractatum etiam hanc in rem  
composuit, atque ex Lutheri libro *de  
Captivitate Babylonica* quadraginta pro-  
posi-

*Pallavicinus.  
loc. cit.*

**Sæcul. XVI**  
**A. C. 1521.**

**Cochlæus in  
actis & scri-  
ptis Luther.  
ann. 1521.  
Ulemberg.  
cap. 6.**

positiones manifestis erroribus obnoxias extraxit. Nihilominus ad frangendam Lutheri factionem nimium infirmi erant ejusmodi conatus, potentius tamen auxilium sperabatur a S. R. I. Comitibus, quæ WORMATIÆ Mense Januario celebranda indicebantur. Enimvero ea quoque præstituto die habebantur, ac ipse etiam Imperator, prout pollicitus erat, conventum cetera frequentissimum præsentia sua honorabat; nec deerant ambo Pontificis Nuncii Hieronymus Alexander, & Marinus Caracciolus, quorum utrique cum Lutheri ejusque librorum condemnatio demandata esset, Alexander rem fortiter urgebat, solusque tertiam omnino horam in prima Sessione perorabat.

## §. III.

*Aleandri Pontificii Nuncii oratio in  
Comitiis WORMATIENSIBUS.*

**Ex act.  
Worm.  
Archiv. Vat.  
apud Cardin.  
Pallav. l. 1.  
c. 25.  
Sleid. Com.  
l. 3. p. 63.  
Cochl. de act.  
Luth. ann.  
1521. p. 30.**

Primo equidem Alexander vehementius in Lutherum invehebatur, cum vero ipse animadverteret, quod sermo ipsius adstantibus minus acceptus esset, nec injuriis rem agi, sed potius hujus Monachi opiniones hæreticas demonstrari oporteret, quantocius orationem suam ad ipsosmet Lutheri errores convertit, ac quasdam propositiones ex li-  
bro

bro de *Captivitate Babylonica* deprompsit, **Sæcul. XVI.**  
 ostenditque, a Luthero septenarium Sa- **A.C. 1521.**  
 cramentorum numerum fuisse negatum,  
 & transubstantiationem in Sacramento  
 Altaris ab eo pro humano sigmento ex-  
 plosam. Postea comprobavit, ab illo pri-  
 ma fidei fundamenta, & reverentiam Sa-  
 cramentis debitam, necnon votorum Re-  
 ligionem impugnari, ejusque doctrinam  
 non minus pietati Christianæ, quam  
 Status tranquillitati adversam esse, cum  
 vero ejusmodi hæresis indies magis ma-  
 gisque sese diffunderet, ita ad illius ex-  
 tinctionem promptum remedium adhi-  
 bendum esse asserebat. His auditis  
 Principes vehementer exeriti, Luthe-  
 rum omnino damnandum esse concla-  
 mare cæperunt. Id ubi sensit Fridericus  
 Saxonix Elector declinandæ sententiæ  
 gratia dixit: ægerrime ferro, quod U-  
 niversitatis meæ Theologo falsa impo-  
 nantur; nam erronei hinc articuli, qui  
 Luthero adscribuntur, ab ipso non fue-  
 runt traditi, sed in ejus odium, ac in-  
 vidiam ab ejus adversariis eidem affin-  
 guntur, imo ipsi quoque libri, ex qui-  
 bus ejusmodi errores deprompti sunt,  
 forte nequidem e Lutheri calamo pro-  
 fluxerunt, Lutherum igitur ipsum ac-  
 cersere oportet, ut is ex ore suo convinca-  
 tur. Annuit Cæsar cum Principibus.

A 3

§. IV.

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1521.**

§. IV.

*Aleander, ne Lutherus ad Comitium  
vocaretur, obcludatur.*

*Pallavicin.*  
*l. 1. c. 26.*

Verum Aleander vehementer ejusmodi consilio sese opponebat, contestatus, quod non esset id, quod a Romano Pontifice sancitum fuisset, in controversiam adducendum, ac Lutherum accersere, haud periculo careret; cum tanta esset illius audacia, ut facile seditionem concitaret, quas ob causas non amplius illum audiri oporteret, cum palam edixisset, recusari a se ejusmodi iudices, qui Theologi, Canonum periti, aut Episcopi essent. Quippe Aleander haud immerito pertimescebat, ne Lutherus, qui nil ardentius, quam disputationes, atque colloquia cupiebat, linguæ suæ facundia, falsisque argutiis rudiores, atque de rebus fidei iudicium ferendo impares deciperet. Nihilominus tamen in comitiis decretum, Lutherum esse vocandum, ut absque ambagibus confiteretur, an libri, ex quibus hæreticæ propositiones excerptæ, ab ipso conscripti, vel eidem falso adjudicati essent. Tum vero longa, difficilisque inter Imperii Principes disceptatio exorta est, qua ratione securitatis literæ Luthero concedendæ forent,

*Cosm. l. cit.*

rent; nam illius fautoribus, ac inter Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.  
ceteros præcipue Friderico, folius Cæ-  
saris fides publica, quantumvis sigillo  
firmata, haud videbatur sufficiens; ti-  
mebant enim, ne Lutherus, ubi adve-  
nisset, in manus Romani Pontificis tra-  
deretur. Ergo Carolus Cæsar compla-  
cendi studio permisit, ut nonnulli alii  
Principes in comitiis congregati impu-  
nitatis concessæ literis sua quoque no-  
mina, atque sigilla apponerent. Adje-  
cit tamen duas condiciones. I. Ut Lu-  
therus e Saxonia Wormatiam pergens  
in itinere nusquam ad populum diceret.  
II. Ne librum aliquem, donec auditus  
esset, conscriberet. Acceptabantur a  
ceteris ambæ hæ condiciones.

## §. V.

*Epistola Cæsaris ad Lutherum una-  
cum publicæ fidei literis.*

Itaque Imperator non modo Luthero  
publicæ fidei tabulas, sed insuper a- Sleidan.com.  
l. 3. p. 63.  
liam epistolam die sexta Martii datam  
transmisit, hunc in modum perscriptam:

*Ex te scire cupimus, utrum quorundam  
operum tuo nomine vulgatorum auctor sis,  
& doctrinam in illis contentam tueri velis;  
de cetero dedimus tibi ad veniendum Wor-  
matiam, & iterum hinc ad tuum securum  
reditum nostram, & Imperii securitatem:*

A 4

neque



Sæcul. XVI. A.E. 1521 *neque ullam vel violentiam, vel injuriam timeas. Volumus enim te in præfato nostro conductu firmiter manutenere.*

## §. VI.

*Lutherus Wittembergæ WORMATIAM profectus.*

*Sleidan. l. c. cap. 64.*  
*Acta Worm. conv. ex Cod. Vatic.*  
*Pallavic. l. I c. 26.*  
*Ulemb. in vita Luth. c. 6 n. 2. p. 86.*  
*Cochl. p. 31.*

Lutherus igitur publica accersitus fide Wittembergæ WORMATIAM contendit, nondum elapso, quem Cæsar præfixerat, viginti dierum termino. Comitabatur eum Caspar Sturmius, Fecialis Cæsareus, eo fine e WORMATIA missus, ut Lutherum fide publica custoditum adduceret. Hic igitur Erfordiam delatus, ad FF. Augustinianorum cœnobium, ubi olim sacro Ordinis sui habitu induebatur, divertebat, ac incidente Dominica *Quasimodo* ad populum dicere rogabatur. Lutherus contempta lege, vi cujus concionari per publicæ fidei sponsonem prohibebatur, sermonem habuit, ad quem undique confluxerant populi, nonnulli eum percipiendi aviditate, cuncti curiositate commoti: Ipse autem in suo sermone vehementer contra pias actiones, legesque humanas declamabat. Ita enim agebat: *Unus ædificat templa, alter peregrinatur ad S. Jacobum, aut ad S. Petrum; tertius jejunit, aut orat: induit cappam, incedit nudipes.*

dipes. Ejusmodi opera nihil prorsus sunt, quæ & funditus destrui oportet; quicquid enim a Papa venit, id clamat: Da, da, si non facis, diaboli es. Modica res esset, si solum expilarentur homines: hoc vero maximum est malum, quod homines eo dirigantur, ut opera corporalia possint salvare, aut justificare. Dein Lutherus Erfordia profectus, Oppenheimium venit, ubi se nominatim Romæ Feria quinta majoris Hebdomadæ a Papa anathemate percussum percepit. Accepto Nuncio iidem, qui inter itineris comites magis timidi erant, nihil non agebant, ut Luthero Wormatiam venire dissuaderent, hancque in rem eidem hostium suorum numerum, ac potentiam exponebant, supplices, ut Joannis Hussi exemplo saperet. Reposuit ille: „Grata mihi quidem est vestra sollicitudo, hæc tamen mihi haud absimilis videtur ab illa, quam Pilati uxor pro Christo gerebat, nam sicut hanc in illa femina, sic & in vobis dæmon excitavit; quippe non minus in illo, quam in præsentis casu tenebrarum Angelus solium suum proxime eversum iri prospiciens, ut illud conservaret, extrema quæque tentavit; insuper addidit Lutherus, quamvis certus sim, quod mihi tot, quot in cunctis illius urbis (Wormatiam intelligebat) te-

A 5

„ctis

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.Sleidan. l. 3.  
c. 64.

**Secul. XVI.** „ētis tegulæ sunt, dæmones immine-  
**A.C. 1521.** „rent, nihilominus eo pergere haud de-  
 „fistam. „

## §. VII.

*Lutherus Wormatiam delatus, ibique interrogatus.*

**Cochl. loc. cit.**  
**Pallavic. l. I.**  
**c. 26. n. 8.**

Venit denique die decima sexta Aprilis Wormatiam, ac cum octo solum equitibus urbem ingressus, ad ædem Equitum Ordinis Teutonici prope Saxonix Electoris Palatium divertit; postera die decima septima ejusdem Mensis circa quartam pomeridianam ad comitia admittebatur, introducente eam Comite de Pappenheim, S. R. Imperii Marescallo, a quo ante omnia communitus est, ne quid loqueretur, nisi a Cæsare interrogatus. Postmodum Eckius Juris peritus, ac Bavarix Ducis Consiliarius Lutherum allocutus, Cæsarea, inquit, Majestas huc te, Martine Lutherè! accivit his duabus de causis. Primo, *ut libros hosce hætenus tuo nomine vulgatos, agnoscas hic coram, si tui sint.* Aderant ibi operum suorum transumpta, quorum tituli publice prælegebantur. Secundo, *ut profitearis, an in his contenta tueri, vel errores tuos revocare velis.* Ad hæc Lutherus, *libros, inquit, jam recensitos non possum non amplecti pro meis,*

meis, & eorum nullum, qui nomen meum præferunt, unquam diffitebor. Ad posteriorem vero quæstionem, an doctrinam revocare velit vel non, tempus ad deliberandum postulavit; Cum, agebat, de re maximi momenti ageretur, nimirum de fide, & de verbo Dei, quo nihil majus habemus, temerarium igitur foret, ac periculosum, me quicquam incogitatum proferre, peto hac de causa spacium deliberandi, ut citra divini verbi injuriam nec plus, nec minus affirmem; qua ratione Christum (ut intendo) coram hominibus non confiterer. Ad hoc Lutheri responsum cæpit Principum deliberatio, tandem vero horum jussu Eckius hæc illi significavit. *Etsi tu Martine ex Mandato Cæsareo satis intelligere potuisses, ad quid WORMATIAM accersitus sis, eaque de causa, cum adeo celebri Doctor habearis, facile, quid responderes, præconcupere potueris, nihilominus Cæsarea Majestas ex ingenita clementia diem unum meditationi tuæ indulget, ea tamen lege, ut cras ad eandem horam compareas, nec scripto sententiam tuam, sed verbis exponas:* His dictis Lutherus confestim ad hospitium suum rediit.

## §. VIII.

*Lutherus WORMATIÆ in comitiis altera vice auditus.*

Postera die Sturmius, Fecialis Cæsareus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

**Sæcul. XVI** reus Lutherum rursus pro colloquio ad  
**A.C. 1521** aulæ portam deduxit, ac circa horam  
 sextam ingressum concessit. Acceden-  
*Pallav. hist.* tem ita alloquebatur Eckius: Heri ad  
*Conc. Trid.* ea, quæ a te petebantur, respondere  
*l. 1. c. 27.* noluisti, data est tibi ad deliberandum  
*Steid. l. 3. p.* una dies, quam tamen tibi concedi pro  
 65. excogitanda responsione haud decebat;  
*Cochl. p. 33* quemlibet enim de fide sua respondere,  
 ac poscenti rationem reddere semper pa-  
 ratum esse oportet, præcipue „a te id pe-  
 „ti poterat, cum adeo celebris ac pro-  
 „fundus Theologus audias, ut ad ex-  
 „cogitandas responsiones tuas ulterio-  
 „ri temporis spacio haud indigus vide-  
 „ri posses, verum ut res se habeat,  
 „quid hodie respondes; num vis do-  
 „ctrinam in libris tuis contentam tue-  
 „ri? „

## §. IX.

*Lutheri Oratio præfente Imperatore  
in comitiis.*

*Steid. lib. 3.* Ad hæc Lutherus mox respondit, ac  
 6. 65. sermone ad Imperatorem, totum-  
 que Principum confessum convertens,  
 ab omnibus benevolo, ac tranquillo a-  
 nimo excipi rogabat, inquit: Potent-  
 tissime Cæsar, Illustrissimi Principes,  
 si forte in tam celebri confessu verba mi-  
 nus decentia, minusque congrua mihi  
 excidant, nec ea, qua par est, morum  
 comi-

comitate utar, id rogo, vitæ generi, Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.  
 quod tota ferme ætate mea professus  
 sum, adscribatur; non enim aliam de  
 me ipso fiduciam habeo, nec aliud,  
 quam sinceræ protestationis testimoni-  
 um proferre valeo, nisi id, quo declaro,  
 quod cuncta, quæ hucusque docui, u-  
 nice propter Dei gloriam, & hominum  
 salutem fecerim. Ad primam autem,  
 quæ heri mihi proposita est, quæstio-  
 nem haud cunctanter respondeo, libros  
 nuper recensitos re ipsa a me composi-  
 tos esse, si vero adversarii mei quic-  
 quam illis intruserint, de hoc rationem  
 non reddam, nec illud tanquam a me  
 dictum haberi decet. Agitur jam, ut  
 ad alteram quoque quæstionem respon-  
 deam: huic vero ut satisfaciam, præ-  
 primis peto, ut perpendatur, quod li-  
 bri, quos scripsi, varii generis ac ar-  
 gumenti sint; nam quidam eorum sim-  
 pliciter de pietatis doctrina, deque mo-  
 ribus Christianorum scripti sunt: hi ve-  
 ro vel ipso adversariorum iudicio utiles  
 censentur, quos si retractarem, viri pro-  
 bi ac ingenui partibus deessem. Alios  
 etiam libros edidi, in quibus Papatum,  
 & Romanæ Curix doctrinam reprehendi;  
 nam per hanc Christiana Respubli-  
 ca tantopere fuit oppressa, ut fidelium  
 conscientias per Pontificum leges in hu-  
 manis traditionibus fundatas intolerabi-  
 bili

**Sæcul. XVI.** bili tyrannide penitus oppressos nemo  
**A.C. 1521.** nesciat, nec ulla alia Christiani Orbis  
 pars præter Germaniam æquiores que-  
 rendi causas habet, nec harum vexationum finis sperari potest, nisi promptum ejusmodi malis remedium adhibeatur. Proin nec id quoque librorum genus retractare vel damnare possum, ne Romanæ Curiaë mores stabilire, ac ejus Ministris talia perpetrandi novum jus præbere videar, id vero eo magis noxium foret, quo illud publica Cæsaris, ac Principum auctoritate fecisse crederer. Denique alios edidi libros adversus quosdam privatos, qui Romanam tyrannidem tueri, & traditam a me veritatis doctrinam impugnare assu-  
 sis etiam in me calumniis conati fuerunt; fateor ecquidem, fui in meis libris ob disputationis æstus vehementior, ac in responsis durior: interim me nec in vita nec in moribus meis sanctum profiteor, nil tamen mihi antiquius est, quam veram doctrinam ex evidentibus sacrae paginae testimoniis tradere, hancque ob causam nolo eam revocare, ne adversarii mei inde gloriantur; novi me hominem, proin errori obnoxium esse, meque quandoque errasse, haud difficile credo, mihiq; unicum superest, ut cum Christo Domino in maxilla a summi Sacerdotis servo percussio dicam:

*Inter opera  
 Luth. in act.  
 conv. Worm.  
 t. 2.*

si male locutus sum, perhibe testimo- **Sæcul. XVI.**  
 nium de malo. Si jam mundi Salvator **A.C. 1521.**  
 omni perfectionum ornatu dotatus, in-  
 digni tamen servi testimonium audire  
 haud recusavit, quo magis ego, cum  
 homo peccator sim multis erroribus ob-  
 noxius, me illis, qui meam doctrinam  
 redarguunt, exhibere, eosque audire  
 teneor: Quapropter per quicquid sa-  
 crum sanctumque, vos obtestor, ut ni-  
 hil dissimuletis, sed potius si forte a ve-  
 ritate deflexerim, hunc errorem evi-  
 dentibus sacri Codicis testimoniis de-  
 monstretis; spondeo vicissim, si convi-  
 ctum me sensero, primum omnium li-  
 bellos meos flammis injecturum. „ In-  
 „ terea gaudeo, quod doctrina mea  
 „ tot tumultus excitaverit; in ipsis enim  
 „ hisce contradictionibus agnosco ad-  
 „ umbratas Evangelicæ doctrinæ do-  
 „ tes, dicente Christo: *Non veni pacem*  
*mittere, sed gladium, veni hominem separa-*  
*re a Patre suo.* „ Quapropter Luthe-  
 „ rus sermonem ad congregatos diri-  
 „ gens ait, quid decernitis, probe atten-  
 „ dite, ne verbum, & sanam doctri-  
 „ nam, quam vobis Deus ex speciali  
 „ beneficio manifestat, condemnetis:  
 „ Consulite proin Cæsaris juventæ, ne-  
 „ que Imperii nuper obtenti natalem  
 „ imprudenti damnatione infaustam  
 „ reddatis, adeo funestum posteris ex-  
 „ emplum

„ exemplum



Sæcul. XVI. „ emplum relinquentes ; id ne facia-  
A C. 1521. „ tis , dehortari vos possem pluribus  
 „ sacræ Paginæ testimoniis ; nam ta-  
 „ lia Pharao , Rex Babylonæ , & Re-  
 „ ges Israel mihi suppeditant , qui eo  
 „ ipso tempore , quo pacem in Regnis  
 „ suis stabilire , remque summa sapien-  
 „ tia perficere crediderunt , suam sibi  
 „ ruinam parabant. „

Cum vero Lutherus fusius excurre-  
 rare , ac Principes ad protegendam ve-  
 ritatem adhortari vellet , perorantem  
 interpellavit Eckius , commotiori ani-  
 mo dicens : Nondum ad id , quod rei  
 summa est , respondisti : tuum non est ,  
 in controversiam aut in dubium voca-  
 re , quæ aliunde Conciliorum auctori-  
 tate definita sunt , a te vero solum pe-  
 titur , ut simpliciter respondeas , an li-  
 bros tuos approbare , vel retractare ve-  
 lis. Ad hæc reposuit Lutherus : *Cum  
 ergo S. Majestas vestra , Dominationesque  
 simplex responsum petunt , dabo illud in hunc  
 modum : nisi convictus fuero Scripturarum  
 testimonio , aut ratione evidenti ( nam ne-  
 que Papæ neque Conciliis solis credo , cum  
 constet eos errasse sæpius , & sibi ipsis con-  
 tradixisse ) victus sum scripturis a me ad-  
 ductis , & capta conscientia in verbis Dei ,  
 proin revocare neque possum , neque volo ,  
 cum contra conscientiam agere neque tutum ,  
 neque integrum sit.*

*Sleid. com.  
 lib. 3. p. 67.*

*Hoc*

Hoc de responso Principes, habita Sæcul. XVI.  
A.C. 1541.  
 deliberatione, hæc Luthero significari jubebant: *Martine immodestius respondi-  
 sti, quam personam tuam deceat. Facta  
 igitur librorum tuorum distinctione, si eos  
 retractaveris, in quibus errorum tuorum  
 maxima pars est, haud dubie Cæsarea sua  
 Majestas ex ingenita clementia, reliquorum,  
 qui boni sunt, persecutionem non tolerabit.  
 Ast tu, quæ Universale Constantiense Con-  
 cilium damnavit ex universa Natione Ger-  
 manica, Viris profunda eruditione clarissi-  
 mis congregatum, resuscitas, & per sacras  
 Scripturas convinci vis: in quo sane vehe-  
 menter deliras. Quid enim attinet, novam  
 disputationem celebrare de rebus per tot sæ-  
 cula ab Ecclesia & Concilio damnatis?  
 Quod si enim ea esset indulgenda libertas,  
 ut quæ per Ecclesiam & Concilia jam pri-  
 dem definita sunt, S. Scripturæ obtentu in  
 disputationem revocare liceat, futurum, ut  
 in Religionis doctrina nihil fere certum, &  
 legitimum haberemus. Verbo Cæsar a te  
 scire desiderat, quid de libris tuis sentias?  
 an ea, quæ dixisti, tueri, vel recantare cogi-  
 tes? tum Lutherus dixit, aliud ac dedi  
 responsum haud occurrit: Cum vero no-  
 ctis tenebræ ingruerent, solutus est Prin-  
 cipum confessus.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.

§. X.

*Cæsaris epistola ad Ordines Imperii  
adversus Lutherum.*

*Steid. l. c.  
p. 68.  
Cochl. p. 34.*

Altera die Imperator, cum comitiis interesse haud posset, ad Principes ibidem congregatos hunc in modum perscripsit: *Vobis constat, me genus ducere a Christianissimis Imperatoribus, qui omnes ad supremum usque vitæ diem se fideles Romanæ Ecclesiæ declararunt, semperque Catholicæ fidei pro Dei honore, pro Religionis incremento, pro animarum salute propugnatores fuere. Et nos quoque, utpote Majorum nostrorum non fallaces imitatores in hunc usque diem eo pacto viximus. Cum vero in aperto sit, unum solum Fratrem hallucinari privata opinione deceptum, eam ob rem plane mihi deliberatum est, Regna mea omnia, vitam denique ipsam, & animam impendere, ne improbus hic conatus longius progrediatur. Quandoquidem ergo pertinax hesternò die Lutheri responsum omnes audivimus, mentem ego vobis meam aperio, pœnitere me, quod tam diu distulerim contra hominem illum, falsamque ejus doctrinam procedere. Jubeo autem, ut quamprimum ex mandati præscripto Wittenbergam reducatur, caveatque ipse ex publicæ fidei ipsi data formula, ne palam soncionetur, neve populo prava sua dogmata*

ta instillare pergat. Equidem sicut jam di-  
 xi contra eum haud secus, atque contra no-  
 torium hæreticum plane deliberavi procedere:  
 simulque a vobis reposco, ut in ista causa  
 id statuatis, quod decet probe Christianos, &  
 ut vos facturos recepistis. Lecta est hæc  
 Cæsaris epistola in comitiis, ac de illa  
 varium erat vulgi iudicium, prout cu-  
 juscunque animus Lutheri causæ vel  
 favens, vel inimicus erat, vel prout pro-  
 pria cujuslibet utilitas suadebat. Cen-  
 sebant nonnulli, Lutherum insuperha-  
 bita fide publica, protinus carceri man-  
 dandum, alii atque inter eos præci-  
 pue Ludovicus Elector Palatinus ejus-  
 modi consiliis vehementer obluetaban-  
 tur, causati, ejusmodi facinore Germa-  
 nicæ Nationis nomini indelebilem ma-  
 culam inuri. Elector quoque Saxo-  
 niæ, ceterique Lutheri fautores expo-  
 nebant, agi de re summi momenti, non  
 igitur præcipiti utendum consilio, Cæ-  
 sarem ætate juvenem nimia facilitate  
 præventum Romanæ Curie Ministris  
 favere, supplicandum potius eidem Prin-  
 cipi, ut quosdam ex comitiis ad Luthe-  
 rum deputari permittat, qui ejus ani-  
 mum ad reparandum læsum summi  
 Pontificis honorem novo conatu indu-  
 cerent.

Sæc. XVI.  
A.C. 1521.

§. XI.

*Colloquium Trevirensis Electoris  
cum Luthero.*

*Pallav. l. 1.  
c. 27.  
Sleid. l. 3.  
p. 68.  
Cochl. p. 40.*

Placuit Cæsari Electoris consilium; quapropter Trevirensis Electorem, qui jam antea Sedis Apostolicæ negotia procurabat, deputavit, eidemque adjunxit Brandenburgensem Electorem, Georgium Saxonæ Ducem, Episcopum Augustanum, ac nonnullos alios. Hi una omnes Lutherum comparere jubent, eumque admonent, ut relicta tandem pertinacia, in quam grave periculum præceps rueret, serio perpendat: Verum inutiles erant illorum conatus. Quocirca Trevirensis Archiepiscopus, cum privato fors colloquio ejus animum frangi posse speraret, Lutherum ad cubile suum accersivit, solis arbitris Eckio, ac Cochlæo Francofordiensi Decano. Hi secreto colloquentes nullum non movebant lapidem, ut Luthero Generalium Conciliorum doctrinam esse acceptandam persuaderent. Ast pertinaciter obluſtabatur Lutherus, obtendens, hæc Concilia ac inter illa Constantiensem Synodum errasse, eoquod hanc damnasset Joannis Husſi propositionem: *Unica est Ecclesia sancta, & universalis, quæ est Prædestinatorum Universitas.* Ergo  
Lutheri

Lutheri contumacia indies crescente, **Sæcul. XVI.**  
 ad publici colloquii necessitatem deven- **A.C. 1521.**  
 tum est, quod etiam præsentibus Depu-  
 tatis die vigesima quarta Aprilis cele-  
 brabatur.

Igitur ad illud vocatur Lutherus, quem jurisperitus Væus Marchioni Badenſi a ſecretis ita alloquitur; accerſus es, non ut diſputes, ſed ut amicus amico colloquaris, ac de rebus, quæ tuam perſonam ſpectant, admonearis; data enim tibi eſt a Cæſare facultas, ut de- nuo te conveniremus, atque ad reſpi- ſcendum adhortaremur; non ergo Con- cilia, ut hucusque feciſti ſpernas; ſi enim ab illis diverſa fuiſſe ſtatuta ve- rum eſt, nunquam tamen providente Dei Spiritu, ſibi oppoſita ſanxerunt: dein nec privato homini licitum eſt, quod eorum doctrinam in dubium re- vocet. Interim tui libri, niſi prom- pte obvietur, ingentes fuſcitant tumul- tus, ac inter cæteros liber de *libertate Chriſtiana* hominibus a pietate averſis amplam præbet conviciandi licentiam, perinde acſi in articulis, quos Eccleſia credendos proponit, nulla detur certi- tudo: continentur equidem in tuis libris quædam utilia, potiffimum tamen per- verſis doctrinis infecti ſunt, & Chriſtia- næ charitatis leges promiſcuam horum lectionem prohibent; potius enim Ger-

**Sæcul. XVI.** mani in pia fide, quam a recepti Evan-  
**A.C.1521.** geli tempore constanter tenuerunt, quie-  
 te relinquendi sunt.

## §. XII.

*Lutheri Responsum ad Comitiorum  
Deputatos.*

**Sleid. com. l.** Principibus Lutherus gratias egit pro  
**4.p. 69. & 70.** tam clementi exhortatione; ad rem  
 ipsam quod spectat, talia respondit:  
 non omnia Concilia reprehendi, sed  
 Constantiense tantum, & quidem ob ra-  
 tiones, quas Trevirensi Archiepiscopo  
 proposui, eoquod nimirum Synodus  
 hanc Joannis Husli propositionem da-  
 mnaverit, in qua asseritur *solis Prædesti-  
 natis Ecclesiam constare*, jam vero rejicien-  
 do hanc assertionem hujus Synodi Pa-  
 tres simul damnarunt articulum fidei,  
 quo *Sanctam* Ecclesiam Catholicam nos  
 credere profiteamur, cum tamen ista do-  
 ctrina in sacris literis disertis verbis  
 tradatur, atque ab illa firmiter creden-  
 da veri Christiani nec propter supplicia,  
 nec ipsam quoque mortem excusentur;  
 ego vero potius omnia perpeti, ac san-  
 ctum Dei verbum retractare paratus sum.  
 Mea vero doctrina ne motus excitaret,  
 impedire non potui: cum Christus in  
 signum positus sit, cui contradicetur &  
 in multorum ruinam; non ignoro, quod  
 Magi-

Magistratui sit obtemperandum, nec deceat inniti prudentiæ suæ, & conceptis opinionibus adhærescere, interim tamen ipsemet legi in S. Paginis, Deo magis quam hominibus obtemperandum, non equidem recuso obtemperare in omnibus, dummodo Verbum Dei revocare vel abnegare non cogar. Postmodum in hæc prorupit verba: „Si Ecclesiarum Rectores juxta Christi atque Apostolorum præcepta suo fungerentur munere haud opus esset, fidelium conscientias duro hoc ac intolerabili legum humanarum jugo subjicere, haud equidem me latet, sacram Scripturam velle, ut unusquisque in sensu suo abundet; ipse ego id lubens concedo, nihil tamen ex pertinacia facere intendo, id unum peto, ut Evangelium profiteri mihi liceat. „

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

§. XIII.

*Conditiones Luthero ab Archiepiscopo propositæ.*

Ex Cardinale Pallavicino discimus, *Pallavic. l. X. cap. 27. n. 7.*  
Trevirensis Archiepiscopus Luthero, perspecta ejus contumacia, quatuor proposuisse conditiones, & primo quidem, *ut Pontificis simul, & Cæsaris judicio sese permitteret.* II. *Ut unius Cæsaris sententiæ stare, quem pro certo habe-*

B 4

bat



Sæcul. XVI  
A.C. 1521

bat Elector, omnia ex Pontificis sententia peracturum. III. Ut in Cæsareo, ordinumque Imperii iudicio se poneret. IV. Denique, ut magis enormia quædam pronuntiata in præsentî revocaret, cetera futuro Concilio committeret. Cum vero hæc propositiones supremam Romani Pontificis in rebus fidei auctoritatem violarent, adeo acriter de iis Aleander Papæ Nuncius conquestus est, ut Archiepiscopus sese apud eum purgaret, inquiring, sibi fuisse in animo, quod non alia ratione ea proponeret, nisi quatenus postmodum auctoritate Apostolica comprobarentur. Lutherus vero easdem propositiones ex hoc capite rejiciebat, quod ipsi iudices, quos jamjam recusasset, designarentur.

Postremo, Trevirensis Elector Lutherum inducere conabatur, ut saltem ipse quoddam remedium, quod quieti publicæ opportunius judicaret, depromeret: Tum vero Lutherus respondit, *nihil mihi melius occurrit, quam id, quod ore Gamalielis Scriptura pronuntiat: Si est ex hominibus consilium hoc, opus dissolvetur, sin ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, hoc ergo responso Papa sit contentus, ac firmiter credat, meum propositum, si ex Deo non fuerit, dissolutum iri.* Cum igitur aliud a Luthero responsum extorqueri haud posset, abire iussus est,

est, dato negotio, ut intra dies viginti & unum Wittembergam rediret, nec tamen in itinere vel quicquam scriberet, vel ad populum diceret: Igitur Lutherus Principibus gratias agens die vigesima sexta Aprilis Wormatia egressus est, quem fecialis Cæsareus, qui eum adduxerat, securitatis gratia comitabatur.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.

## §. XIV.

*Lutheri Epistola post suum discessum  
ex oppido Friburgensi ad  
Cæsarem data.*

Lutherus ubi Friburgum venit, in itinere literas ad Cæsarem dedit, in quibus omnes, ob quas ad modum ex eo petatum errores suos revocare remississet, rationes adduxit, ac ea, quæ jam sæpius enunciaverat, denuo repetiit dicens, se non alios admissurum iudices, quam qui ejus causam nonnisi ex Sacræ Paginæ testimoniis decernerent.

„ Non meam, inquit, sed totius Ecclesiæ, & universi Orbis ac præcipue Germaniæ causam defendo, itaque, Cæsar augustissime, ut me adversus hostes meos protegas, suppliciter rogo.

„ Scripsit paulopost ejusdem argumenti literas ad S. R. I. Principes, seque purgavit, quod libros suos Ordinum Imperii

*Sleid. comm.*

*l. 3. p. 71.*

*Cochl. de act.*

*Luth. ann.*

*152.*

*Pallav. hist.*

*l. I. c. 28.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.

rii iudicio subjicere recusaverit; non enim possum, aiebat, ullo pacto permittere, ut Verbum Dei sit alligatum, nihilominus declaro, me ad nutum Cæsareæ Majestatis, ac ceterorum Principum in loco mihi designando compariturum, dummodo mihi cum æquis Judicibus, non vero suspectis agere liceat. Utramque hanc epistolam deferendam Sturmio commisit, summopere gavissus, quod hac ratione illum dimittere potuerit, quem præsentem esse noluit eo tempore, quo ex composito ab amicis suis intercipiendus esset, ut hoc pacto obedientiam denegandi obtentum consequeretur. Ita enim inter eos cum Luthero conventum est.

## §. XV.

*Lutherus in itinere raptus, atque in arcem abductus.*

*Pallavicin.*  
*hist. l. c. 28.*  
*Sleid. p. 76.*  
*Cochl. an.*  
*1521. p. 42.*  
*& seq.*

Enimvero Lutherus, ubi die tertia Martii Isenaccum oppidum egressus sylvam quamdam in itinere Wittembergam versus pertransiret, duo Equites larvis tecti, atque a Friderico Saxonie Electore subornati e sylva erumpebant, factoque in currum impetu, Lutherum simulata ferocitate, ut res serio de ejus vita agi videretur, in terram projiciebant, tandemque quasi per vim ad Wartember-

bergenſe caſtrum in monte non procul ſæcul. XVI.  
 ab Alſteto in deſerta Saxonix regione A.C. 1521.  
 ſitum abducebant, ubi Lutherus novem  
 omnino menſibus latitavit, & quidem  
 laute admodum habitus fuit, hominum  
 tamen accellu privatus, atque adeo dex-  
 tre hæc fabula adornata fuit, tantaque  
 fide, ac ſilentio res peracta, ut nullate-  
 nus, ubi Lutherus lateret, explorari po-  
 tuerit. Quinimo teſtantur Scriptorum  
 nonnulli, quod Saxonix Elector, ubi  
 deliteſceret Lutherus, de induſtria ſcire  
 noluerit, ut interpellatus a Papa aut  
 Cæſare dicere poſſet, omnino ignorare  
 ſe, quo loco hic Monachus eſſet.

## §. XVI.

*Rumores de Lutheri raptu  
ſparſi.*

Cum vero brevi de Lutheri raptu fa- *Pallav. l. 6.*  
 ma ubique divulgaretur, Aleander *c. 28.*  
 hac de re ſummum Pontificem certio-  
 rem reddidit: Cæſar quoque Carolus  
 V. æque ac plurimi alii prudentiores  
 Viri, quod res erat ſuſpicabantur. Non  
 deerant tamen ex Lutheri fautoribus,  
 qui paſſim ſpargerent, quod Romanæ  
 Curix emiſſarii illum occidiſſent, aut  
 ſaltem violata fide publica hominem in  
 vinculis detinerent. Alii etiam eo te-  
 meritatis proceſſerunt, ut ſe ejus cadaver  
 gladio

**Sæcul. XVI** gladio transfossus in quadam argenti  
**A.C. 1520.** fodina reperiisse palam edicerent: quæ  
 res tam prope ad seditionem spectare videbatur, ut Caracciolus, atque Alexander ambo Pontificis Nuncii, aliunde Lutheranis admôdum exosi in magnum vitæ discrimen adducti censerentur. Interea vero Cæsar, quid consilii in præfenti rerum statu ante soluta comitia caperet, cum S. R. I. Electoribus ac Principibus deliberabat, conventumque est, edictum adversus Lutherum esse promulgandum. Ergo illud die sexta Maji conficitur, duoque illius exempla quorum unum latine, alterum vero germanice erat scriptum, Cæsari offeruntur. Hic tum in templo adfuit, Aulicorum frequenti corona cinctus, atque innumera confluentis populi multitudine stipatus, ibique festivissimo vultu utrumque edicti transumptum Cæsarea subscriptione firmavit, adstantibus Moguntino, & Sedunensi Cardinalibus, qui illud quoque signaverant. Jam prius vero illius formula perlecta, atque in conventu die octavo Maji, qui eo anno dies erat Dominica divinæ Triadi Sacra, approbata fuit: Postquam igitur omnes ejusmodi solemnitates fuerunt adhibitæ, edictum consuetis typis editum, ac undique pervulgatum est.

## §. XVII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1521.*Edictum Caroli V. Imperatoris ad-  
versus Lutherum.*

Summa hujus edicti hæc erat: *Ad ve-*  
*ri Romani Imperatoris officium pertinet* Cochl. ann. 1521. in fin.  
*non modo fines sacri Imperii ad Ortho-* ad. & script.  
*doxam viam propagare, verum etiam, ne* Luth.  
*qua hæreseos labes, aut suspicio sacrosan-* Sleid. l. 3. p. 76. apud  
*ctam Religionem commaculat, summo studio* Gold. const.  
*providere, ac si quæ jam oriri cæperit,* Imp. t. 2.  
*eam delere penitus, & extinguere: Cum ve-* p. 143.  
*ro frater Lutherus erroribus, & hæresibus* Pallavic. hist.  
*ab orthodoxa fide longe alienis, Religionem* Conc. Trid. l. 1. cap. 28.  
*Christianam, præsertim in natione Germani-*  
*ca inficere conetur, a Sanctissimo Patre*  
*Leone X. summo Pontifice, ad quem fidem*  
*Catholicam curare spectat, prædictus Mar-*  
*tinus a principio clementer & paterne mo-*  
*nebatur, ut a nefandis hujusmodi cæptis*  
*desisteret, & jam sparsos errores revocaret.*  
*Quod cum ille neglexisset, convocatis sæpius*  
*S. R. E. Cardinalibus &c. prædicto tamen*  
*Martino in contumacia persistente, ipsius*  
*scripta ut perniciofa, & fidei, unitatque Ec-*  
*clesiæ contraria damnata fuere, Martinus*  
*vero ipse, nisi infra certum terminum muta-*  
*ta sententia se errores suos revocasse docuis-*  
*set, ut hæreticum ab omnibus evitandum*  
*ac puniendum summus Pontifex Apostolicis*  
*literis declaravit. Quas, ad Nos per Hie-*  
*rony-*

Sæcul. XVI A.C. 1521. *ronymum Aleandrum Sedis Apostolicæ Nuncium misit petens, atque requirens, ut pro officio ac debito Imperialis dignitatis in universo Romanorum imperio, deinde (quod Catholicum Regem & Christianum Principem decet) in ceteris quoque Regnis nostris, & præcipue in Germania omnia & singula in dictis literis contenta observari, & executioni mandari juberemus. Post quas tamen prædicto Martino factas monitiones, & ipsius tandem condemnationem tantum absuit, ut resipisceret, ut etiam detestabiliores perversi ingenii sui fructus indies ederet, ac complures acervatim libros non modo novarum, sed etiam a sacris Conciliis olim condemnatarum hæresum plenos, nec solum latino, verum etiam Alemanico sermone, a se compositos fere quotidie divulgaret: homo usque adeo novarum rerum, ac potius perditionis humanæ cupidus, ut nihil fere scripserit, vel suo nomine divulgaverit, cui non aliqua pestis, aliquis lethalis insit aculeus: Quas ob causas Prædecessorum nostrorum, Romanorum Imperatorum vestigis insistentes, ac pias super exterminandis hæreticis constitutiones observantes, convocatis sæpius ad præsentiam nostram præcipue Electoribus, necnon universis Romani Imperii Ordinibus, de eorum unanimi consilio, matura deliberatione, & consensu in hanc tandem devenimus sententiam, ut quamvis hominem a Sede Apostolica condemnatum, &*

in sua obstinata perversitate obduratum, & **Sæcul. XVI.**  
 notorium hæreticum audire, omni jure ex- **A. C. 1521.**  
 ceptum esset: nihilominus ad tollendam om-  
 nem cavillandi ansam complures audiendum  
 a nobis hominem, priusquam in eum ad exe-  
 cutionem Pontificii decreti ulterius procede-  
 remus, asseverabant, ideo Martinum sæpedi-  
 ctum, misso ad ipsum dedita opera uno ex  
 Caduceatoribus nostris accersiri jussimus,  
 non ut nos de hoc negotio judicaremus, aut  
 cognosceremus (cum id dubio procul ad  
 Romanum Pontificem, & Sedem Apostoli-  
 cam pertineat) sed ut eum bonis moni-  
 tionibus ad rectam semitam (si fieri posset)  
 reduceremus.

Itaque Lutherum in nostra, & Princi-  
 pum Imperii præsentia constitutum interro-  
 gari jussimus de ejus libris, & doctrinis, an  
 illas revocare velit, qui tamen terminum sibi  
 ad respondendum petiit, quo elapso ne ver-  
 bum quidem in suis libris mutaturum aper-  
 tissime negavit. Quinimo Pontificum de-  
 creta, & sacrosancta Concilia sæpius er-  
 rasse asseveravit . . . . His omnibus sic o-  
 minino se habentibus, Nos juxta tenorem sal-  
 vi conductus Lutherum statim a conspectu  
 nostro missum fecimus, nunc vero ad oppor-  
 tunas medellas huic pestilentissimo morbo  
 necessarias in hunc, qui sequitur, modum pro-  
 cedere decrevimus. Primum omnium, ad  
 honorem Dei, Romanique Pontificis, & S.  
 Sedis Apostolicæ reverentiam debitam, pro  
 Impe-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

*Imperialis dignitatis officio necnon studio, quo Majorum nostrorum more ad defensionem Catholice fidei, sanctæque Ecclesie protectionem animam ipsam nostram exponere parati sumus, ex Imperiali & Regia auctoritate, necnon ex consilio, & assensu Electorum, & omnium S. R. Imperii Principum, & statuum exequendo sententiam Sanctissimi D. N. Papæ, Martinum Lutherum ut membrum ab Ecclesia Dei abalienatum, ut obstinatum, schismaticum, & notorium hæreticum a nobis haberi declaramus, & ut talem a vobis omnibus, & singulis habendum decernimus, & edicimus. Mandantes sub crimine læsæ Majestatis, ac etiam amissionis bonorum omnium, necnon proscriptionis, ac interdicti Imperialis pœnis, ne quis præfatum Lutherum recipere, defendere, sustentare, aut facere dicto facto vel scripto præsumat. Quinimo post elapsum viginti dierum terminum contra eum ubicunque deprehensus fuerit, juxta formam imperialis banni procedatis, ejus quoque complices, adherentes, receptatores, & quomodolibet fautores, necnon eorum bona singula mobilia, & immobilia juxta sacras constitutiones, ac interdicti imperialis legem libere prosequamini, illosque & illa capiatis, & in usus vestros optimo, & pleno jure convertatis. Mandamus insuper, ne quis Lutheri scripta emere, vendere, tenere, aut legere, præsumat, non obstante, quod in illis etiam aliqua*

qua bona ad fallendas simplicium mentes im-  
 mixta essent. Ea propter omnibus Princi-  
 pibus & Magistratibus præcipimus, ut hu-  
 jusmodi pestiferos Martini libros publico  
 igni consumendos, penitusque abolendos cu-  
 rarent. Verum quia cavendum, ne Marti-  
 ni libri, aut ex illis excerpta suppresso aut  
 mutato auctoris nomine publicentur: quia  
 etiam quotidie videmus, & audimus cum a-  
 libi tum in Germania passim divulgari pi-  
 cturas & imagines non in opprobrium mo-  
 do privatarum personarum; sed & ipsius  
 summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ con-  
 tumeliam excogitatas; idcirco omnibus &  
 singulis præcipimus, ne quis hujusmodi fa-  
 mosos libellos, scripturas, aut picturas, at-  
 que etiam invecivas scribere, imprimere, de-  
 pingere, vendere, aut tenere, aut imprimi fa-  
 cere audeat. Quinimo jubemur, ut ejusmo-  
 di libros &c. singulis diripiant, & publico  
 igni comburant, ac eorum impressores, au-  
 ctiores, emptores, & venditores apprehendant,  
 & detineant. Atque ut omnis ejusmodi er-  
 rorum occasio tollatur, Imperiali ac Regia  
 auctoritate sub prædictis pœnis decernimus,  
 ne quis de cetero Chalcographus, vel libro-  
 rum Impressor, aut alius quivis libros ullos,  
 seu aliam scripturam, in quibus de sacris li-  
 teris, aut fide Catholica vel minimum tra-  
 ctatur, non habito prius Ordinarii loci con-  
 sensu, cum auctoritate etiam Facultatis Theo-  
 logicae

Sæcul. XVI *logicæ alicujus propinquæ Universitatis im-*  
A.C. 1521. *primere, vel imprimi præsumat.*

## §. XVIII.

*Censura errorum Lutheri per Fa-*  
*cultatem Theologicam Pa-*  
*risiensem.*

*Argentre*  
*coll. Jud. de*  
*nov. error.*  
*p. 365.*

Lutherus cum adhuc in arce, quam suam Pathmos vocabat, delitesceret, hujus edicti nuntium accepit, indeque novis furiis agitabatur. Nunquam autem vehementius tumultuabatur, quam ubi perceperat, a Parisiensi facultate Theologica nuperrime ejus libros, erroresque censuris perstrictos, ac plusquam centum propositiones ex ejus doctrina depromptas fuisse damnatas. Hanc illius severitatem eo iniquiore ferebat animo, quo confidentius sub primis sectæ suæ auspiciis eandem Facultatem velut Judicem ac arbitrum contentionis suæ cum Sede Apostolica elegisset, illiusque judicio non sine præclaris ejusdem elogiis sese subjecisset. Data est hæc censura die decima quinta Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo apud S. Mathurinum in quadam Congregatione hanc in rem habita, demumque eadem sententia unanimi omnium Doctorum consensu conclusa ac definita fuit. Præ-

primis

primis igitur Facultas Theologica Sæc. XVI. A.C. 1521.  
 exponit, quam necessarium esset, sese novarum hæresum veneno, quo fideles  
 facile infici possent, opponere, *Paulus*  
*ille, inquit, vas electionis Timotheum insti-* 2. ad Tim. c. 2. v. 15.  
*tuens, ut curet seipsum Ministrum irrepre-* Et 16.  
*hensibilem Et probatum exhibere Deo, re-*  
*æque tradantem Verbum veritatis, profa-*  
*na hortatur Et vaniloqua devitare, quoniam*  
*hæc multum proficiunt ad impietatem. Nam*  
*si semel recepta fuerint, mox serpet vene-*  
*num, Et abolefcet Catholicæ doctrinæ vigor.*  
*Siquidem hæreticorum sermo perinde ac can-*  
*cer, Et morbus serpet, qui ubi corpus vi-*  
*ventis attigerit, non desinit paulatim vicinas*  
*occupare partes, donec intulerit exitium.*  
*Cum enim adhuc in adolescentia sua Eccle-*  
*sia Christi Sponsa florere cæpisset, surrexe-*  
*re viri mendaces, qui a veritate excidentes*  
*fidem illius subvertere molirentur, quales fue-*  
*runt, Hermogenes, Philetus, Hymeneus, Et*  
*post illos Ebion, Marcion, Apelles, deinde*  
*Sabellius, Manichæus, Et Arius. Sene-*  
*scente vero eadem, Et paulo ante tempora*  
*nostra Waldo, Wicles, Et Joannes Huss.*  
*Hac etiam tempestate de progenie illa vipe-*  
*rarum suborti sunt, Lutherus, ejusque Se-*  
*clatores, filii nequam, qui speciosæ Matris*  
*sue ac unionis vinculum schismaticè discin-*  
*dere conantur vere similes viperulis. Inter*  
*quos unus vel præcipuus existit quidam Mar-*  
*tinus Luther, qui prænominatorum hæreti-*  
 C 2 corum

Sæcul. XVI. A.C. 1521. *corum dogmata (instar prævaricatoris Ahiel, qui contra Josue imprecationem recædificavit in Hierico) instaurare studet, & nova confingere, qui plus unus sapere præsumit, quam ceteri omnes, qui in Ecclesia sunt, aut fuerunt. Omnium nempe Universitatum Scholis suum ausus est præferre iudicium: Præscorum quoque vel sanctorum Doctorum Ecclesiæ sententias contemnit, & ut ad impietatis cumulum quid addat, sacrorum sanctiones Conciliorum enervare contendit, quasi scilicet ad fidelium salutem necessaria soli Luthero Deus reservasset: quæ præteritis sæculis nescivit Ecclesia, & ad hæc usque tempora in tenebris, & errorum cæcitate suam Sponsam Christus dimisisset.*

Postmodum Parisienses Theologi demonstrant, quod Lutherus errores suos ex putidis veterum hæreticorum lacunis hausisset, nam, prosequuntur illi, de libero arbitrio Manichæos sequitur, de contritione Hussitas; Wiclefistas vero de confessione; de præceptis legis Beguardos; Catharos de punitione hæreticorum; de immunitate Ecclesiasticorum & Evangelicis consiliis Waldenses, & Bohemos: de juramento consentit hæreticis, qui se jactitant de ordine Apostolorum; de observatione Legalium, Ebionitarum hæresi propinquat. Ceterum de Sacramentali absolutione, satisfactione, præparatione ad Eucharistiam, item de peccatis de pœnis Purgatorii, de generalis-

neralibus Conciliis non ferendos disseminat errores. Sed & de Hierarchiæ præclaris institutis perperam loquitur ignarus, sicut de potestate Ecclesiastica, & de indulgentiis multa. Nec tamen pestiferam doctrinam evomuisse contentus, librum insuper edidit, cui de captivitate Babylonica nomen indidit, usque adeo variis respersum erroribus, ut jure cum Alchorano conferri mereatur. In eo siquidem extinctas hæreses, & funditus extirpatas, quarum ne vestigia quidem ulla restabant, super his præsertim, quæ ad Sacramenta Ecclesiæ spectant, suscitare, ac revocare contendit. Ejusmodi Scriptor est Ecclesiæ Christi hostis perniciosus, & antiquarum blasphemiarum instaurator execrandus. Bohemorum namque, Albigensum, Waldensium, Heracleonitarum, Pepuceanorum, Aerianorum, Lamperianorum, Jovinianistarum, Artotyritarum, ceterorumque id genus monstrorum insanicæ, per auctorem in eodem comprobantur libro, commendantur, extolluntur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

§. XIX.

*Errores ex libro de Captivitate Babylonica a Facultate censuris notati.*

Postmodum Facultas recenset propositiones, quas censuris perstringit, ac præprimis examinat librum de captivitate

Argente ib.  
p. 367.

Sæc XVI. *tate Babylonica*, eoquod ille pluribus sca-  
 A.C. 1521. teret erroribus, totamque propositionum  
 seriem ad quinque revocat articulos, qui  
 erroneas de Sacramentis, præceptis  
 Ecclesiæ, de operum æqualitate, de vo-  
 tis, & de divina essentia assertiones  
 complectuntur.

## ARTICULUS I.

### De Sacramentis.

Circa materiam Sacramentorum fa-  
 cultas sequentes damnavit proposi-  
 tiones. I. „Recens est inventio Sacra-  
 „ mentorum. „ *Hæc propositio est te-*  
*meraria, impia, & manifeste hæretica.* II.  
 „ Sacramentum Ordinis Ecclesia Chri-  
 „ sti ignorat. „ *Hæc est hæretica, & est*  
*error Pauperum de Lugduno, Albigensum,*  
*& Wiclefistarum.* III. „ Omnes Christia-  
 „ ni habent eandem potestatem in ver-  
 „ bo, & Sacramento quocunque. IV.  
 „ Claves Ecclesiæ sunt omnibus com-  
 „ munes. V. Omnes Christiani sunt  
 „ Sacerdotes. „ *Quælibet harum trium*  
*propositionum est Ordinis Hierarchici de-*  
*structiva & hæretica,* VI. „ Confirmatio  
 „ & extrema unctio non sunt Sacra-  
 „ menta a Christo instituta. „ *Hæc*  
*propositio est hæretica, & pro prima parte*  
*est error Albigensum, & Wiclefistarum, pro*  
*secunda vero Heracleonitarum.* VII. „ Mis-  
 „ sa

„ sa passim creditur esse sacrificium, **Sæcul. XVI.**  
 „ quod offertur Deo: Inde Christus ho- **A. C. 1521**  
 „ stia Altaris dicitur. Sed Evange-  
 „ lium non finit Missam esse Sacrificium.,  
*Secunda hujus propositionis pars est impia,*  
*blasphema, & hæretica.* VIII. „ Manife-  
 „ stus est error Missam applicare seu  
 „ offerre pro peccatis, pro satisfactio-  
 „ nibus, pro defunctis, aut quibuscun-  
 „ que necessitatibus suis, aut aliorum.,  
*Hæc propositio est contumeliosa & hæretica,*  
*& est Aerianorum hæreticorum, & Arto-*  
*tyritarum erroribus conformis.* IX. „ Non  
 „ est dubium uniuersos hodie Sacerdo-  
 „ tes, & Monachos cum Episcopis, &  
 „ omnibus suis Majoribus esse idolola-  
 „ tras in statu periculosissimo agentes,  
 „ ob Missæ seu Sacramenti ignoran-  
 „ tiam, abusionem, & irrisionem.,  
*Hæc propositio est falsa, maxime scandalo-*  
*sa, ac uniuerso Ecclesiastico Statui contu-*  
*meliosa.* X. „ Credo firmiter panem esse  
 „ Corpus Christi. „ *Hæc credulitas Lu-*  
*theri est absurda, hæretica, & olim damna-*  
*ta.* XI. „ Negare Laicis utramque spe-  
 „ ciem est impium & tyrannicum. „  
*Hæc propositio est erronea, schismatica, im-*  
*pia, & ex damnato Bohemorum errore eli-*  
*cita.* XII. „ Bohemi hæretici & schis-  
 „ matici non sunt nominandi, sed Ro-  
 „ mani. „ *Hæc propositio est falsa, per-*  
*fidia Bohemica impie defensiva, & Eccle-*



Sæcul. XVI *sic Romance contumeliosa.* XIII. „ Ma-  
 A C. 1521. „ trimonium non est Sacramentum di-  
 „ vinitus institutum, sed ab hominibus  
 „ in Ecclesia inventum. „ *Hæc propositio est hæretica, & olim damnata.* XIV.  
 „ Conjunctio Viri & mulieris tenet, quo-  
 „ cunque modo contra leges hominum  
 „ contigerit. XV. Debent Sacerdotes  
 „ ea omnia matrimonia confirmare,  
 „ quæ contra Ecclesiasticas vel Ponti-  
 „ ficias leges fuerint contracta, in qui-  
 „ bus Papa potest dispensare, & quæ  
 „ non sunt in S. Scriptura expressæ. „  
 „ *Utraque hæc propositio est falsa, Ecclesiæ potestati impie derogativa, & ex damnato Waidensium errore procedens.* XVI. „ To-  
 „ ta efficacia Sacramentorum novæ Le-  
 „ gis est ipsa fides. „ *Hæc propositio est efficaciæ Sacramentorum impie derogativa, & hæretica.* XVII. „ Quicquid credi-  
 „ mus nos accepturos esse, revera ac-  
 „ cipimus, quicquid agat, non agat, si-  
 „ mullet, aut jocetur Minister. „ *Hæc propositio est absurda, ex erroneo Scripturæ intellectu asserta, & hæretica.* XVIII.  
 „ Periculosum, imo falsum est opinari  
 „ pœnitentiam esse secundam post nau-  
 „ fragium tabulam. „ *Hæc propositio est temerarie, erronee, ac fatue asserta, nec non Beato Hieronymo illam ponenti injuriosa.* XIX. „ Qui sponte confessus si-  
 „ ve correptus veniam petierit, & emen-  
 „ dave-

„ daverit coram quovis privatim fra-  
 „ tre, non dubito a peccatis suis illum  
 „ esse absolutum. „ *Hæc propositio in-*  
*nuens Laicos tam viros, quam mulieres po-*  
*testatem clavium habere, est falsa, Sacra-*  
*mentis Ordinis & Pœnitentiæ contumelio-*  
*sa, & hæretica cum errore conveniens Wal-*  
*densium, & Quintilianorum.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1521.

## ARTICULUS II.

De Legibus & Constitutionibus  
Ecclesiæ.

**I**nter propositiones, quæ ex eodem li-  
 bro per Facultatem Theologicam da-  
 mnato excerptæ fuerant, secundus ti-  
 tulus agit de legibus & Constitutioni-  
 bus Ecclesiæ, ac nonnisi unicum, hanc-  
 que complectitur propositionem. „ Ne-  
 „ que Papa, neque Episcopus, neque  
 „ ullus hominum habet jus unius syl-  
 „ labæ constituendæ super Christianum  
 „ hominem, nisi id fiat ejusdem con-  
 „ sensu. Et quicquid aliter fit, tyran-  
 „ nico Spiritu fit. „ *Hæc propositio est*  
*a debita subditorum erga Superiores obe-*  
*dientia & subjectione retractiva, legum po-*  
*sitivarum seditiose destructiva, ac in fide, &*  
*moribus erronea, & est error damnatus Wal-*  
*densium cum errore Arianorum conveniens.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

## ARTICULUS III.

De operum æqualitate.

Tertius titulus tractat de æqualitate operum, ac itidem nonnisi unicam propositionem continet his conceptam verbis: „Opera nihil sunt coram Deo, „aut omnia sunt æqualia, quantum ad „meritum attinet. „ *Hæc propositio est falsa, sacris eloquiis adversa, atque errori Jovinianistarum conformis.*

## ARTICULUS IV.

De votis.

Quartus articulus de Votis binas continet propositiones, quarum prima est: „Suadendum, ut vota prorsus omnia tollantur, aut vitentur. „ *Hæc propositio est Christi doctrinæ, & Sanctorum Patrum observationi, qui vouere consulant, contraria, ex errore Wiclefistarum procedens.*

II. Probabile est vota hodie non valere, nisi ad operum jactantiam, & præsumptionem. *Hæc propositio est falsa, statui Religionis contumeliosa, & præfatis Wiclefistarum erroribus consona.*

ARTI-

## ARTICULUS V.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.

## De divina Essentia

Agit quintus titulus de divina essentia, ibidemque hæc unica damnatur propositio: „ Istis novissimis trecentis „ annis multa perperam determinata „ sunt: quale est, Essentiam divinam „ nec generari, nec generare, & animam „ esse formam substantialem corporis „ humani. „ *Hæc propositio est falsa, & ab homine, qui alienus est a Catholica Ecclesia arroganter asserta, sacrisque Conciliis generalibus injuriosa.*

## §. XX.

*Errores ex aliis Lutheri libris excerpti, ac proscripti.*

Postmodum damnatæ fuerunt propositiones ex aliis Lutheri libris de *Argentre* *ibid p 369.* promptæ, quæ ad undeviginti titulos revocatæ sunt.

## TITULUS I. II.

De Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, & de contritione.

In primo titulo tractatur de conceptione B. V. M., circa quam una duntaxat propositio notatur hunc in modum prolata: „ Contradictoria hujus propositio-  
„ positio-

Sæcul. XVI „ positionis: Beata Virgo est concepta  
A.C. 1521. „ sine peccato originali, non est repro-  
 „ bata. „ *Hæc propositio est falsa, igno-*  
*ranter & impie contra honorem immaculatæ*  
*Virginis asserta.*

Alter titulus de contritione decem  
 propositiones complectitur. I. „ Lege  
 „ manifestata aut in memoriam revoca-  
 „ ta, mox sequitur augmentum peccati,  
 „ si gratia desit. „ *Hæc propositio, lo-*  
*quendo de gratia gratum faciente, est falsa,*  
*a recta S. Scripturæ intelligentia aliena, &*  
*a meditatione divinæ legis retractiva.* II.  
 „ Lex ante charitatem non operatur,  
 „ nisi iram, & auget peccatum. „ *Hæc*  
*propositio est falsa, piarum aurium offensi-*  
*va, in Deum, ejusque legem blasphema, nec*  
*intentioni D. Pauli consona.* III. „ Ope-  
 „ ra quæcunque ante Charitatem sunt  
 „ peccata, & damnabilia, & indispo-  
 „ nentia ad gratiam. „ *Hæc propositio*  
*est falsa, temerarie asserta, peccatorum ab*  
*emendatione retractiva, & sapiens hæresim.*  
 IV. „ Qui bonum opus aut pœnitentiam  
 „ a peccatorum detestatione ante dile-  
 „ ctionem justitiæ incipit, nec in eo  
 „ peccari asserit, inter Pelagianos nu-  
 „ merandus est. „ *Hæc propositio est*  
*falsa, & ignoranter asserta, capiendo di-*  
*lectionem justitiæ pro ea, quæ charitatem*  
*seu gratiam gratum facientem sequitur.* V.  
 „ Con-

„ Contritio, quæ paratur per discussio- **Sæcul. XVI.**  
 „ nem, collectionem, & detestationem **A. G. 1521.**  
 „ peccatorum, qua quis recogitat an-  
 „ nos suos in amaritudine animæ suæ,  
 „ ponderando peccatorum gravitatem,  
 „ multitudinem, foeditatem, amissio-  
 „ nem æternæ Beatitudinis, ac æter-  
 „ næ damnationis acquisitionem: hæc,  
 „ inquam, contritio facit hypocritam,  
 „ imo magis peccatorem. „ *Hæc pro-*  
 „ *positio est falsa, viæ ad pœnitentiam impe-*  
 „ *ditiva: Scripturis sacris & doctrinæ San-*  
 „ *ctorum difformis.* VI. „ Neque timore,  
 „ neque amore potest homo se erigere  
 „ ad capessendam Dei gratiam. „ *Hæc*  
 „ *propositio est in Fide & moribus erronea,*  
 „ *omnem præparationem ad pœnitentiam im-*  
 „ *pie auferens.* VII. „ Sine gratia primo  
 „ remittente culpam, nec votum remis-  
 „ sionis quærendæ homo potest habe-  
 „ re. „ *Hæc propositio est falsa, impia,*  
 „ *& peccatorem ad desperationem inducit.*  
 VIII. „ Christus nunquam peccatores  
 „ coegit timore ad pœnitentiam. „ *Hæc*  
 „ *propositio capiendo cogere pro inducere,*  
 „ *sicut sumitur frequenter in Scriptura sacra,*  
 „ *est hæretica.* IX. „ Bonus est timor, &  
 „ utilis, licet sit insufficiens, per quem  
 „ paulatim fit consuetudo justitiæ. „ *De*  
 „ *his verbis S. Augustini ita loquitur Luthe-*  
 „ *rus:* „ Hoc est meo iudicio consuetudo  
 „ desperandi, & odiendi Deum, si ex-  
 „ clu-

Sæcul. XVI. „ cludatur gratia. „ *Judicium Lutheri,*  
A.C.1521. ait *Facultas, est falsum, temerarium, &*  
*impium accipiendo gratiam, ut supra pro*  
*gratia gratum faciente sicut eam accipit Scri-*  
*ptor. X. „ Si Joannes Baptista timo-*  
*rem docuisset esse initium pœnitentiæ,*  
*non ideo sequeretur pœnitentiam inci-*  
*pere a timore. „ Hæc propositio est*  
*manifeste erronea, in Christum & inspira-*  
*tam Præcursoris ejus doctrinam contume-*  
*liosa.*

### TITULUS III.

#### De Confessione.

**H**ic septem continet propositiones, qua-  
rum prima est: „ *Ars confitendi, qua*  
*hucusque docti fumus arenam nume-*  
*rare, singula peccata discutere, colli-*  
*gere, atque ponderare ad faciendam*  
*contritionem, est ars inutilis, imo ars*  
*desperandi, & perdendi animas. „*  
*Hæc propositio est falsa, impia, schismati-*  
*ca, & confessioni, quæ est ars lucrandi ani-*  
*mas, injuriosa. II. „ Confessio illa, quæ*  
*nunc agitur occulte in aurem, nullo*  
*potest divino jure probari, nec ita fie-*  
*bat primitus. „ Hujus propositionis pri-*  
*ma pars est falsa, & ex ignorantia juris di-*  
*vini asserta. Secunda est temerarie posita.*  
 III. „ *Spiritualis defectus est soli Deo a-*  
*periendus. IV. Si oportet confiteri*  
*occulta cordis, tantum ea, quæ ple-*  
 „ *ni*

„ ni sunt consensus opera, homines de-  
 „ bent confiteri. V. Peccata contra duo  
 „ ultima præcepta Decalogi commissa  
 „ sunt prorsus a confessione secludenda. „  
*Qualibet harum trium propositionum est in*  
*fide erronea, & impie confessionem dimidians.*  
 VI. „ Nullo modo præsumat homo con-  
 „ fiteri peccata venialia. „ *Hæc dissua-*  
*sio est temerarii animi indicativa, ab opere*  
*bono retractiva, & ideo perniciosa.* VII.  
 „ Non justificamur operibus, neque pœ-  
 „ nitentiis aut confessionibus. „ *Hæc*  
*propositio loquendo de operibus bonis fidem*  
*Mediatoris non excludentibus est erronea,*  
*pœnitentiæ, & confessionis contemptiva, &*  
*sano divinæ Scripturæ intellectui adversa.*

## TITULUS IV.

## De Absolutione.

Sub hoc articulo quatuor propositiones  
 recensentur, quarum prima est hæc:  
 „ Absolutio est efficax non quia fit, a  
 „ quocunque tandem fiat, erret, sive  
 „ non erret: sed quia creditur. II. Cre-  
 „ de fortiter, te esse absolutum, & ab-  
 „ solutus vere eris, quicquid sit de tua  
 „ contritione. III. Esto per impossibi-  
 „ le, quod confessus non sit contritus,  
 „ aut quod Sacerdos non serio, sed jo-  
 „ co absolvat, si tamen credat se esse ab-  
 „ solutum, verissime est absolutus. „ *Hæc*  
*tres*



Bisul. XVI  
A. C. 1521.

*tres propositiones ad sensum Auctoris sunt falsæ, impicæ, ignoranter & difformiter ad S. Scripturam assertæ. Et in hoc, quod dicitur: „ A quocunque tandem fiat, eret, sine non erret; „ & in eo quod subditur: „ non serio, sed joco absolvat; „ Sunt piarum aurium offensivæ, Sacramenti pœnitentiæ irrisoriæ, & Conciliorum generalium determinationibus contrariæ. IV. „ Quilibet Sacerdos debet absolvere a poena, & culpa, aut peccat. „ Hæc propositio ad sensum scribentis est falsa, observationi, & doctrinæ universalis Ecclesiæ in his, quæ concernunt Sacramentum pœnitentiæ, contraria.*

### TITULUS V.

#### De Satisfactione.

Quintus titulus octo refert propositiones. I. „ Peccata Deus & semper „ & gratis remittit, & condonat, nihil „ a nobis invicem requirens, quam ut „ imposterum bene vivamus. „ *Hæc propositio est a sententia sanctorum Doctorum aliena, Fideles vana & stulta confidentia a debita satisfactione pro peccatis retrahens, & hæretica.* II. „ Sententia est Apostoli „ stoli poenam & culpam simul finire. „ III. De industria damnat Propheta sententiam probantium satisfactionem, „ dicens: Quoniam si voluisses, Sacrificium „ cum

„ cium dedissem: Holocaustis non dele- Sæcul. XVI.  
 „ ctaberis. IV. Irridet Micheas Pro- A. C. 1521.  
 „ pheta eos, qui per opera satisfacere  
 „ volunt. „ *Prima harum propositio-  
 „ est in D. Paulum: Secunda in Prophetam:  
 „ Tertia in Micheam contumeliosa, & om-  
 „ nes falsæ, impie, & in Spiritum sanctum  
 „ blasphemæ. V. „ Virtute clavium jacti-  
 „ tant quidam solvi pœnas per divinam  
 „ justitiam requisitas, quod non credo  
 „ verum, nec probabitur. „ *Hæc pro-  
 „ positio est falsa, scandalosa, & potestati  
 „ clavium derogativa animique temerarii in-  
 „ dicativa & arrogantis. VI. „ Commen-  
 „ tum & futile cavillum est dicere: quia  
 „ Sacerdos ignorat mensuram contri-  
 „ tionis pro absolutione, ideo forte non  
 „ imponit tantam satisfactionem, quan-  
 „ tam divina justitia requirit, quod pro-  
 „ pterea necesse sit eidem satisfieri vel  
 „ proprio opere, vel indulgentiis. „ *Hæc  
 „ propositio est falsa, ritui Ecclesiæ, ejusque  
 „ doctrinæ adversa, & pœnitentialis satisfa-  
 „ ctionis enervativa. VII. „ Pœna, qua  
 „ Deus vult peccatum punire, non po-  
 „ test auferi per hominem, vel per Pa-  
 „ pam. „ *Hæc propositio est auctoritati  
 „ Ecclesiæ a Christo concessæ impie & schis-  
 „ maticæ contraveniens, & sapiens hæresim.  
 „ VIII. „ Hæretica est sententia, qua Sa-  
 „ cramenta novæ legis gratiam justifi-  
 „ cantem dare dicuntur illis, qui non  
 „ *Hist. Eccles. Tom. XXXIV. D „ po-*****

Sæcul. XVI „ ponunt obicem , cum sit impossibile  
 A.C. 1521. „ Sacramentum conferri nisi jam cre-  
 „ dentibus, & dignis. „ *Hæc propositio*  
*est falsa temeraria, & præsumptuose asserta.*

### TITULUS VI.

#### De accedentibus ad Evcharistiam.

Complectitur hic titulus duas tantum  
 propositiones, inter quas prima est:  
 „ Magnus & perniciosus error est, si  
 „ quis accedat ad Sacramentum Evcha-  
 „ ristiaæ ea nixus fiducia, quod confes-  
 „ sus est, quod non sit sibi conscius mor-  
 „ talis peccati, quod præparatoria sua,  
 „ & orationes præmiserit: Omnes hi ju-  
 „ dicium sibi manducant, & bibunt. „  
*Hæc propositio est impia, a debita Sacra-*  
*menti suscipiendi præparatione retractiva,*  
*ad desperationem inducens, & doctrinae D.*  
*Pauli contraria, nec Fideles ea nixi fiducia*  
*secludunt divinam misericordiam. II. „ Pro-*  
 „ batio, qua homo peccata sua discutit,  
 „ atque ponderat, non pertinet nisi ad  
 „ insensatos, & crassos Sacramenti con-  
 „ temptores. „ *Hæc propositio est teme-*  
*raria, & arroganter asserta, impia, &*  
*scandalosa.*

### TITULUS VII.

#### De certitudine Charitatis.

Septimus titulus de certitudine justifi-  
 catio-

cationis duas pariter continet pro-  
 positiones. I. „ Pessime docent Theo-  
 „ logi, quando dicunt, nos nescire,  
 „ quando sumus in charitate. „ *Hæc*  
*propositio intelligendo nescire pro certitu-*  
*dine fidei, de qua loquitur Auctor, est fal-*  
*sa, sacris Doctoribus dissona, & sano Scri-*  
*pturæ sensui. II. „ Caveat omnis Chri-*  
 „ stianus, ne unquam incertus sit, an  
 „ Deo placeant opera sua; qui enim sic  
 „ dubitat, peccat, & perdit opera sua  
 „ cuncta, frustra que laborat. „ *Hujus*  
*consilium loquendo de certitudine fidei est te-*  
*merarium, perniciosum, & sacris eloquiis*  
*dissonum.*

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1521.

### TITULUS VIII.

#### De peccatis.

Ad hunc titulum revocantur quinque  
 propositiones. I. „ Justus in omni  
 „ bono opere peccat. II. Omne opus  
 „ bonum optime factum, est ve-  
 „ niale peccatum. „ *Utraque harum pro-*  
*positionum est falsa, piarum aurium offensi-*  
*va, ac bonorum operum infamativa. III.*  
 „ Quod non omni tempore poenitemus,  
 „ & resipiscimus, vitium est. „ *Hæc*  
*propositio, ut vitium dicit culpam ad sen-*  
*sum Auctoris, est falsa, irrationabiliter,*  
*& ex erroneo Scripturæ intellectu asserta.*  
 IV. „ Hoc est mortalium mortalissimum

D 2

„ non

Sæcul. XVI. „ non credere se esse damnabili & mor-  
A. C. 1521. „ tali peccato obnoxium Deo. „ *Hæc*  
*propositio est falsa, impia, desperationis*  
*inductiva, & sapiens hæresim. V.* „ Theo-  
 „ logi docentes ex regulis suis, venialia  
 „ peccata esse distincta a mortalibus, ad  
 „ insaniam perditissime nituntur trahere  
 „ hominum conscientias. „ *Hæc propo-*  
*sitio est stulte, & præsumptuose asserta, sa-*  
*cris Doctoribus injuriosa, & in quantum*  
*prætendit venialia non distingui a mortali-*  
*bus, est hæretica.*

## TITULUS IX.

### De Præceptis.

Facultas ad hunc titulum reduxit sex  
 propositiones: I. „ Qui negat Deum  
 „ nobis impossibilia jussisse, pessime fa-  
 „ cit, & qui hoc falsum esse dicit, plus-  
 „ quam pessime. „ *Hæc propositio est*  
*scandalosa, impia, legis Christianæ infama-*  
*tiva, ac auctore S. Augustino in Deum blas-*  
*phema:* II. „ Sola duo ultima Decalo-  
 „ gi præcepta sunt, quæ a nullo quan-  
 „ tumlibet Sancto aliquo modo implen-  
 „ tur; cetera omnia implent, sed in  
 „ his duobus manent rei, & peccatores,  
 „ quia nihil de istis implent. „ *Hæc*  
*propositio est erronea, impia, in legem, &*  
*legislatorem blasphema, & in Sanctos con-*  
*tumeliosa.* III. „ Omne præceptum Dei  
 „ magis

„ magis positum est, ut ostendat præte-  
 „ ritum, & præsens peccatum, quam ut  
 „ futurum prohibeat. Siquidem juxta  
 „ Apostolum, per legem nil nisi cogni-  
 „ tio peccati. „ *Hujus propositionis pri-  
 „ ma pars est falsa, temerarie, & sine ratio-  
 „ ne asserta. Secunda vero:* „ Juxta Apo-  
 „ stolum per legem &c. „ *est erronea, legi,  
 „ mentique D. Pauli contraria.* IV. „ Quia  
 „ homini Charitatem habenti nulla lex  
 „ necessaria est, ideo per hoc præce-  
 „ ptum: *Sabbata sanctifices*, non opus  
 „ præcipitur, sed quies. V. Istud præ-  
 „ ceptum tertium, *Sabbata sanctifices*, ces-  
 „ savit proprie, imo omnino quoad per-  
 „ fectos Christianos, quia justo non est  
 „ lex posita. VI. Infirmis, qui non-  
 „ dum sunt mortificati secundum vete-  
 „ rem hominem, opus est, ut certis offi-  
 „ ciis, diebus, modis occupentur vigi-  
 „ liis, jejuniis, orationibus, disciplinis,  
 „ & similibus: quibus perveniant ad per-  
 „ fectum interioris hominis; ut ubi cor-  
 „ pus fuerit castigatum, & in servitatem  
 „ fuerit redactum, & mortificatæ passio-  
 „ nes, tum ipsa cessent paulatim, & tan-  
 „ tum minuantur, quantum profecerit  
 „ interior homo, adeo, ut si perfectus  
 „ fuerit, illa omnino cessare debeant. „  
*Quælibet harum trium propositionum est ex  
 erroneo Scripturæ intellectu asserta, jure in*

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1521.

Sæcul. XVI. Concilio Viennensi contra Begardos repro-  
A.C. 1521. bata, & hæretica.

TITULUS X.

De Consiliis Evangelicis.

**I**n hoc Titulo quatuor damnantur propositiones : I. „ Illud verbum Christi Matthæi quinto: *Qui te percussit in maxillam dexteram* 8. & illud „ ad Romanos 12. *Non vos defendetis Carrissimi*, non sunt consilia, sicut etiam „ multi Theologi errare videntur, sed „ præceptum. „ *Hæc propositio est falsa, legis Christianæ nimium onerativa, & sanctæ intelligentiæ S. Scripturæ adversa.* II. „ Requiritur coram iudice de injuria reparationem Christianis prohibitum „ est. „ *Hæc propositio est falsa, scandalosa, juri divino naturalique dissona.* III. „ Quia Christianus temporalia non debet amare, ideo non debet jurare. „ *Hæc propositio est in moribus erronea, & sapiens hæresim.* IV. „ Judæis ad libitum verum jurare, est „ permissum. „ *Hæc propositio, si intelligatur permissum, tanquam licitum, falsa est, divino præcepto adversa, & antiquus Judæorum error.*

TITULUS XI.

De Purgatorio.

**H**ic titulus novem propositiones complecti-

plectitur: I. „ Scriptura divina to-  
 „ ta prorsus nihil habet de Purgatorio. „ Sæcul. XVI.  
 „ A.C. 1521.  
*Hæc propositio est falsa, Waldensium erro-*  
*rem maxime fovens, ac sanctorum Patrum*  
*sententiæ repugnans. II. „ Non videtur*  
 „ probatum esse, quod animæ in Purga-  
 „ torio sint extra statum meriti seu au-  
 „ gendæ charitatis. „ *Hæc propositio est*  
*falsa, temerarie & impie asserta: & in hoc*  
*quod præcendit animas in Purgatorio non*  
*esse extra statum meriti &c. est in fide erro-*  
*nea. III. „ Non videtur probatum esse,*  
 „ quod ipsæ animæ in Purgatorio sint de  
 „ sua beatitudine certæ, & securæ, sal-  
 „ tem omnes. „ *Hæc propositio est falsa,*  
*& præsumptuose asserta, necnon traditioni*  
*Ecclesiæ & doctrinæ Sanctorum contraria.*  
 IV. „ Animæ in Purgatorio peccant si-  
 „ ne intermissione, quamdiu horrent  
 „ pœnas, & petunt requiem, quia quæ-  
 „ runt, quæ sua sunt plusquam volunta-  
 „ tem Dei, quod est contra charitatem. „  
*Hæc propositio est falsa, impia, purgandis*  
*animabus injuriosa, & hæretica. V. „ Im-*  
 „ perfecta sanitas, seu charitas moritu-  
 „ ri necessario secum fert magnum ti-  
 „ morem, tantoque majorem quanto  
 „ minor fuerit ipsa. VI. Pœna Purga-  
 „ torii est pavor, & horror damnatio-  
 „ nis, & inferni. „ *Utraque hæc propo-*  
*sitio est falsa, temerarie, & sine ratione po-*  
*sita. VII. „ Probabile est animas Pur-*  
 „ gato-



Sæcul XVI  
 A.C. 1521  
 „ gatorii præ confusione nescire, quo  
 „ litatu sint, damnatæ, an salvatæ, imo  
 „ sibi videntur jam ire in damnationem,  
 „ & descendere in lacum. VIII. „ Ani-  
 „ mæ in Purgatorio nihil aliud sentiunt,  
 „ quam incipere suam damnationem, ni-  
 „ si quod sentiunt nondum clausam post  
 „ se portam inferni. „ *Utraque harum*  
*propositionum est falsa, piarum aurium of-*  
*fensiva, voluntarie, & irrationabiliter po-*  
*sita, & statui animarum Purgatorii inju-*  
*riosa.* IX. „ Omnes animæ in Purga-  
 „ torium descendentes sunt imperfectæ  
 „ fidei, seu sanitatis, imo per quantam-  
 „ cunque ablationem poenarum non es-  
 „ sent sanæ, nisi prius ab eis auferatur  
 „ peccatum, id est, imperfectio fidei,  
 „ & charitatis. „ *Hæc propositio quan-*  
*tum ad omnes partes est falsa & temerarie as-*  
*serta, ac sanctæ Scripturarum intelligentiæ*  
*dissona.*

## TITULUS XII.

### De Conciliis generalibus.

Sub hoc titulo de auctoritate Concilio-  
 rum generalium continentur quatuor  
 propositiones. I. „ Via jam nobis fa-  
 „ cta est enervandi auctoritatem Conci-  
 „ liorum, & libere contradicendi eorum  
 „ gestis, ac judicandi eorum decreta. „  
*Hæc propositio si velit Auctor, licitum esse*  
 cui-

cuius Concilii legitimi auctoritati contra-  
dicere in iis, quæ fidem, & mores concer-  
nunt, est schismatica, & hæretica. II.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

„ Certum est inter articulos Joannis  
„ Hufs, vel Bohemorum multos esse  
„ plane Christianissimos, & Evangeli-  
„ cos, quos non posset universalis Eccle-  
„ sia damnare. „ *Hæc propositio, loquen-  
do de articulis condemnatis, est falsa, im-  
pia, & sacris Conciliis injuriosa.* III.

„ Isti duo articuli, una est sancta univer-  
„ salis Ecclesia, quæ est prædestinato-  
„ rum universitas, & universalis sancta  
„ Ecclesia tantum est una, sicut tantum  
„ est unus numerus prædestinatorum:  
„ non sunt Joannis Hufs, sed Augustini  
„ super Joannem. „ *Hæc propositio ad  
Hussitarum intelligentiam est falso S. Au-  
gustino attributa. Articuli autem loquendo  
de Ecclesia militante sunt propositiones hæ-  
reticæ.* IV. „ Iste articulus: duæ natu-  
„ ræ, Divinitas, & humanitas sunt u-  
„ nus Christus, est a Catholicis conce-  
„ dendus. Et similiter ille: divisio hu-  
„ manorum operum est, quod sunt vir-  
„ tuosa, & vitiosa, quia si homo est vi-  
„ tiosus, & agit quicquam, vitiose agit,  
„ & si est virtuosus, & agit quicquam,  
„ virtuose agit. „ *Hæc propositio est fal-  
sa, & ex ignorantia veræ Theologicæ asser-  
ta: primus autem Articulus est propositio*

Sæcul. XVI *hæretica, secundus est propositio sapiens hæ-*  
A.C.1521. *resim.*

## TITULUS XIII.

## De Spe.

Unica tantum propositio ad hunc titulum revocatur, nimirum hæc: „ Spes non provenit ex meritis. „ *Hæc propositio est falsa, præsumptionis inductiva, ac sacris Scripturis dissona.*

## TITULUS XIV.

## De pœna Hæreticorum.

Hic titulus itidem unam duntaxat propositionem includit; scilicet: „ Hæreticos comburi est contra voluntatem „ Spiritus. „ *Hæc propositio est falsa, contra voluntatem Spiritus divini asserta, & errori Catharorum, & Waldensium consona.*

## TITULUS XV.

De observatione & cessatione  
Legalium.

Ad hunc titulum nonnisi unica reducitur propositio his verbis concepta: „ Licet opera legis quæcunque fieri, si „ ea requirit charitas fraterna, modo „ non lege cogente, quo casu licet etiam modo circumcidi sine periculo & „ cum

„cum multo merito. „ *Hæc propositio est Christianæ legi inimica, Judaicæ perfi-* *secul. XVI:*  
*A. C. 1521.*  
*dice favens, & hæretica.*

### TITULUS XVI.

#### De bello contra Turcas.

Unica duntaxat propositio in hoc titulo recensetur, hunc in modum prolata: „Præliari adversus Turcas est re-  
„pugnare Deo visitanti iniquitates no-  
„stras per illos. „ *Hæc propositio univer-*  
*saliter intellecta est falsa, nec sacris eloquiis*  
*consona.*

### TITULUS XVII.

#### De Immunitate Ecclesiastica.

Circa hanc materiam itidem, hæc unica propositio damnata fuit: „Si  
„Imperator vel Principes revocent li-  
„bertatem datam personis, & rebus Ec-  
„clesiasticorum, non potest eis resisti si-  
„ne peccato, & impietate. „ *Hæc pro-*  
*positio est falsa, impia, schismatica, li-*  
*bertatis Ecclesiasticæ enervativa, ac impie-*  
*tatis tyrannicæ excitativa, & nutritiva.*

### TITULUS XVIII.

#### De libero arbitrio.

In hoc articulo quinque propositiones referuntur: I. „Liberum arbitrium non est

**Sæcul. XVI.** „est Dominus actuum nostrorum. „ *Hæc*  
**A.C. 1521** *propositio est falsa, sacris Doctõribus, ac*  
*omni doctrinæ morali adversa, cum Manichæorum errore conveniens, ac hæretica. II.*  
 „Frustra garrunt Sophistæ, actum bo-  
 „num esse totum a Deo, sed non totali-  
 „ter. „ *Hæc propositio est sanctis Doctõ-*  
*ribus eam ponentibus injuriosa, S. Ambro-*  
*sio potissimum, SS. Augustino, & Bern-*  
*ardo, quos hic Sophistas appellat, & quan-*  
*tum ad id, quod prætendit actum bonum esse*  
*totaliter a Deo, & nullo modo a libero ar-*  
*bitrio est hæretica. III.* „ Liberum arbi-  
 „trium ante gratiam nihil valet, nisi ad  
 „peccandum, non autem ad poeniten-  
 „dum: Ex Augustino de spiritu & lite-  
 „ra. „ *Hæc propositio, accipiendo gratiam*  
*pro gratia gratum faciente, de qua loquitur*  
*Auctõr, est erronea, errori Manichæorum*  
*conformis, a sacris eloquiis aliena, perverse*  
*& truncate ex S. Augustino allegata. V.*  
 „Liberum arbitrium sine gratia tanto ma-  
 „gis appropinquat iniquitati, quanto for-  
 „tius intenderit actioni: Ex Ambrosio. „  
*Hæc propositio, accipiendo gratiam, ut*  
*prius, est falsa, piarum aurium offensiva,*  
*a bonis operibus retrahens, inique, & mu-*  
*tilate ex D. Ambrosio excerpta.*

TITU-

## TITULUS XIX.

De Philosophia, & Theologia  
Scholastica.Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.

Sub hoc titulo septem propositiones continentur, quarum prima est: „Philosophia Aristotelis de virtute morali, de objecto, de actu elicito talis est, quæ nec in populo doceri possit, nec ad scripturæ intelligentiam utilis, quia continet duntaxat portenta verborum non nisi ad contentiones verborum conficta. „ *Hæc propositio quantum ad omnes suas partes, loquendo de Philosophia Aristotelis, in his maxime, in quibus a fide non discedit, est falsa, Et tanquam ab inimico scientiæ arroganter, ac insipienter asserta.* II. „Omnes virtutes morales, & scientiæ speculativæ non sunt veræ virtutes, & scientiæ: sed peccata, & errores. „ *Hæc propositio quantum ad primam partem quoad virtutes morales est eodem modo proscripita, sicut prius illa: „Opera quæcunque ante charitatem sunt peccata. „Quantum ad alteram partem de scientiis, est manifeste falsa.* III. „Theologia Scholastica est falsa Scripturæ & Sacramentorum intelligentia, & exulem nobis fecit veram, & sinceram Theologiam. „ *Hæc propositio est falsa, temerarie Et superbe asserta, ac sanæ doctrinæ inimica.* IV. „In

Sæcul. XVI. „In sermonibus Joannis Tauleri lingua  
 A.C. 1521. „Teutonice conscriptis plus reperio (*di-*  
 „cit Lutherus) Theologiæ solidæ, ac fin-  
 „ceræ, quam in universis omnium Uni-  
 „versitatibus scholasticis doctoribus rece-  
 „ptum est, aut reperiri posset in omnibus  
 „suis sententiis. „ *Propositio, quam Lu-*  
 „*therus asserit, est manifeste temeraria.* V.  
 „Quo tempore cæpit Theologia schola-  
 „stica, id est, illusoria, eodem evacuata  
 „est Theologia Crucis, suntque omnia  
 „plane perversa. „ *Hæc propositio est fal-*  
 „*sa, præsumptuose, & irrationabiliter asser-*  
 „*ta, & errori Bohemorum damnato vicina.*  
 VI. „ Libidinem corrumpendæ Scriptu-  
 „ræ jam ferme trecentis annis patitur  
 „Ecclesia incomparabili damno suo a Do-  
 „ctoribus scholasticis. „ *Hæc propositio*  
 „*est falsa, stulte, & malitiose asserta.* VII.  
 „Theologi Scholastici Aristotelis mora-  
 „lia prorsus convenire mentiti sunt cum  
 „Christi, Paulique doctrina. „ *Hæc pro-*  
 „*positione impudenter & falso Theologis Scho-*  
 „*lasticis imponit Auctor, quod non est verum,*  
 „*quamquam satis exploratum sit in multis mo-*  
 „*ralia Aristotelis cum Christi & D. Pauli do-*  
 „*ctrina consentire.*

Propositio ex libro de Hierarchia  
 cœlesti.

Ultima denique propositio proscripta  
 fuit, excerpta ex libro de Hierarchia cœ-  
 lesti,

lesti, qui S. Dionysio Areopagitæ attri- Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.  
buitur; „In ea Lutherus ita differit: ni-  
„hil ferme est solidæ eruditionis in Dio-  
„nyfio, qui scripsit de cœlesti Hierarchia.  
„Et omnia sunt illius meditata in præ-  
„fato libro, ac somniis prope simillima:  
„in Theologia autem mystica pernicio-  
„sissimus est, Platonizans magis quam  
„Christianizans: in Ecclesiastica vero  
„Hierarchia ludit allegoriis, quod est o-  
„tiosorum hominum studium.„ *Hæc pro-*  
*positio, inquit Facultas Theologica, est*  
*falsa, temerarie, & arroganter asserta, ac*  
*Viro sancto insigni eruditione claro injurio-*  
*sa, quem Damascenus Divinum Areopagi-*  
*tam Pauli Discipulum, sacerrimum, & elo-*  
*quentissimum appellat. Observandum ta-*  
*men, quod Parisienses hi Theologi abs-*  
*que ratione hunc librum e S. Dionysii*  
*Areopagitæ calamo profluxisse suppo-*  
*nant (\*).*

## §. XXI.

(\*) De hoc argumento doctissimus Criti-  
cus P. Honoratus a S. Maria Carmelita Discal-  
ceatus librum composuit, sub titulo: *Proble-*  
*ma Viris eruditis propositum circa libros S.*  
*Dionysio Areopagitæ adscriptos. Edit. Parisiis*  
*anno 1708.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

§. XXI.

*Libellus Henrici VIII. Angliæ Regis  
adversus Lutherum.*

Sub idem tempus Henricus VIII. Angliæ Rex non modo plura, eaque feverissima promulgavit edicta, quibus Regnum suum a Lutheri hæresibus præmunire curabat, sed etiam ipse adversus ejus doctrinam calamum stringere voluit; cum enim in lectione operum S. Thomæ Aquinatis assiduus esset, & Lutherus in pluribus suis libris contra sanctum Doctorem indigno prorsus modo tumultuaretur, licet id omne, quod in Theologicis disciplinis sciebat, ex illius doctrina hausisset, ideo Henricus Scriptorem adeo venerandum, tamque eximia eruditione clarum, cui Monachus ille maximam suæ scientiæ partem debebat, tam nequiter vilipendi ægerrime ferebat, seque viribus haud imparem esse arbitrabatur, ut Lutheri libros confutare, ac lucubratione solida hujus hæretici arrogantiam reprimere posset; cum vero Leo Papa edita hanc in rem Constitutione Lutheri libros perlegi diserte prohibuisset, nec absque eorum lectione hujus hæretici errores refelli possent, hinc Volseus Cardinalis summum Pontificem suppliciter adiit, ut Lutheri libros  
cunctis,

cunctis, [qui eos confutare vellent, le- Sæcul. XVI.  
gendi facultatem concederet. Lubens A C. 1521.  
annuit Pontifex, ignarus quidem, quod  
Rex Henricus adversus hunc hæresiar-  
cham ipse in literariam arenam descen-  
surus esset. Dabat Leo X. hac super re  
litteras Apostolicas die decima quinta A-  
prilis Anno Salutis millesimo quingen-  
tesimo vigesimo primo.

## §. XXII.

*Henrici Regis liber pro asserendis se-  
ptem Sacramentis.*

Scriptit itaque Henricus polemicum *Cochl. ann.*  
tractatum de septem Sacramentis ab *1522. p. 43.*  
Ecclesia Catholica propositis, doctum-  
que volumen suum summo Pontifici nun-  
cupavit, ac Mense Octobri Anno Domi-  
ni millesimo quingentesimo vigesimo pri-  
mo offerri voluit. Nonnullorum opinio  
fuit, hunc librum nonnisi sub nomine  
Henrici VIII. fuisse editum, re tamen  
ipsa ab Eduardo Lee elaboratum. *Ve- Sleid. in com.*  
rum id prorsus incertum est; Henricus *l. 3 p. 78.*  
enim adhuc junior Philosophicis, ac *Pallav. hist.*  
Theologicis disciplinis, eo quod ab Hen- *Conc. Trid.*  
rico VII. ad sacram militiam destinatus *l. 2. c. 1.*  
esset, egregiam navavit operam, ut ideo  
haud dubitandum sit, Regem hujus lu-  
cubrationis auctorem fuisse, licet forte  
cujusdam præclari Theologi auxilio ute-  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. E. retur.*

Sæcul. XVI  
A.C. 1521.

retur. Verum quidquid demum rei subfit, id saltem dubio caret, quod Henricus solidis S. Thomæ Aquinatis principiis innixus egregio prorsus conamine defendat, suisque argumentis indulgentias, summi Pontificis potestatem, septem Sacramentorum numerum, aliosque articulos hucusque a Luthero impugnatos, confirmet. Præprimis redarguit Lutherum, quod sub primis auspiciis indulgentias sub obtentu pœnitentiam extollendi depresserit, nunc vero omnino asserat; *illas ad nihil valere præterquam ad perdendam hominum pecuniam, ac Dei fidem.* Fatetur quidem idem Rex, quosdam forte in illarum promulgatione abusus irrepfisse (\*); eas tamen illis, qui debite eisdem utuntur, proficuas esse demonstrat, ac asserit, quod neutiquam, quin debita erga Sedem Apostolicam submissio violetur, permitti possit, ut

(\*) Bzovius in suis Annalibus Ecclesiasticis ad hunc annum Henrici Regis libellum ad annum 1521. num. XVI. integrum recitat, nihil tamen de ejusmodi abusus reperitur, nisi forte ad hunc sensum detorquere placeat hæc Regis verba: *Quantumvis disputentur Indulgentiæ Pontificis.*

ut suprema ejusdem in Ecclesia auctoritas in controversiam vocetur (\*).

Secul. XVI.  
A.C. 1521.

Postea subjungit, quod Lutherus haud obscure prospexerit, nullatenus Sacramenta impugnari posse, quamdiu visibile caput, quo illa firmarentur, subsisteret, ideoque ut hoc obstaculum haud superandum eluderet, tandem in summos Pontifices insurrexerit, ac eos, quos primo ex jure divino suprema potestate instructos agnovisset, postmodum nonnisi ex hominum lege Superiores esse docuerit, denique ad tantam, eamque maximam devenerit petulantiam, ut ex septem Sacramentis quatuor unico veluti ictu resecaret, ac de quinto tam superbe disserteret, ut illud, si aliquamdiu adhuc subsisteret, id nonnisi Lutheri benevolentiae deberi indicaret (\*\*).

E 2 Præ-

(\*) Hæc rursus ibidem non reperio, illa unice verba leguntur: *Non tam injuriosus ero Pontifici, ut anxie, & sollicite de ejus (summi Pontificis) jure disputem, tanquam res haberetur pro dubia.*

(\*\*) Verba Henrici Regis propria hanc in rem sunt sequentia: *Ista duo capita de tollendis prorsus Indulgentiis, & auferenda potestate summi Pontificis, quantumvis impia sint, Lutheri tamen nonnisi precludia sunt ad Sacramenta perimenda. . . . In hoc libro protinus*

Sæcul. XVI.

A.C. 1521.

Præterea, inquit Rex, *Sacramentum Corporis Christi vocari vult Sacramentum panis, quamvis SS. Patres docerent, quod licet figura panis & vini in Altari videatur, nihil tamen aliud, quam caro & sanguis Christi credenda sit.* Hoc autem dicendi genere Lutherus sibi viam stravit ad pernegandam transubstantiationem, atque a Missa id, quod præ ceteris pretiosissimum habet, nimirum rationem Sacrificii, abstulit, nec minus docuit bona opera ad justificationem nihil prodesse, hac vero doctrina cunctos peccatores in suis sceleribus magis obduratos reddidit. Præterea *fidem ipsam nihil aliud facit, quam flagitiosæ vitæ patrocinium, seu potius omnia peccata sub fide contegit, ac horrendis corruptelis Ecclesiam, Statumque inficit, dum subditos a votorum, quæ Deo reddiderunt, obligatione, necnon ab obedientia Superioribus debita eximit, atque a Sacramento poenitentiae difficiliores duas partes eliminat, scilicet confessionem, & satisfactionem, ipsamque Confirmationem & Matrimonium e Sacramentorum albo expungit.* caussatus, non satis claro (nimirum progenio suo) S. Scripturæ testimonio eisdem

---

*ex Sacramentis septem tantum reliquit tria, nec ea tamen nisi pro tempore, nimirum significans, illa etiam ipsa propediem sese sublaturum.*

dem Sacramenti rationem attribui. Præ-  
 ter hæc Lutherus Sacerdotium evertit, Sæcul. XVI.  
A C. 1521.  
 omnesque fideles ex æquo Presbyteros  
 esse docet, nulli alteri innixus rationi,  
 quam cuidam perperam intellecto sacri  
 Codicis textui, qui, si in sinistro Luthe-  
 ri sensu acciperetur, *ea ratione qua om-  
 nes Christiani Sacerdotes sunt, eadem etiam  
 omnes Reges forent*; Postremo tandem ex-  
 tremam unctionem Sacramentum esse  
 negare constituit, cum vero eidem Sa-  
 cramenti rationem competere, ex S. Ja-  
 cobo apertissime demonstrari perspice-  
 ret, hæc Apostoli verba enervare præ-  
 sumit, dicens, illius epistolam inter Ca-  
 nonicas haud reputari.

## §. XXIII.

*Henrici VIII. liber Pontifici  
oblatus.*

Hoc doctum Henrici Regis volumen  
 summo Pontifici in pleno Patrum  
 Senatu offerebatur. Acceptabat illud  
 Papa non sine ingenti animi sui gaudio,  
 usque adeo in elogia effusus, ut hunc  
 libellum SS. Augustini & Hieronymi o-  
 peribus æquiparare haud dubitaret. Pau-  
 cis post diebus Leo Cardinales con-  
 vocabat, ut de debito tam præclarum,  
 quod Angliæ Rex Ecclesiæ præstitisset,

Sæcul. XVI obsequium remunerandi modo consulta-  
 A.C. 1521 tionem haberet.

## §. XXIV.

*Titulus Defensoris fidei a Papa Angliæ Regi collatus.*

*Pallavicin.  
 hist. Conc.  
 Trid. l. 2. c. 1*

Diu multumque deliberatum, tandem vero conclusum, hunc Monarcham insigni *Defensoris fidei* titulo honorandum esse. Ergo Pontifex diploma expediri iussit, in quo Henrico, cunctisque Angliæ Regibus ejusque Successoribus titulum *Defensoris fidei* attribuit, unaque literæ a Papa sunt scriptæ, quibus eidem Regi amplissime gratias egit.

## §. XXV.

*Melanchtonis libellus adversus Parisiensem Theologorum censuram.*

Ceterum vix literis exprimi potest, quam inique Lutherus tulerit, quod Angliæ Rex Parisiensis Universitatis exemplo ductus adversus ejus libros calammum strinxisset. Jam cunctas moderationis leges transgressus, nil nisi rabiem, bilemque evomere satagebat. Hucusque lingua ac calamo præcipue coram Cardinale Cajetano, necnon in celebri disputatione Lipsiensi palam profitebatur, se Parisiensem Universitatem velut sanæ

sanæ Theologiæ Magistram venerari, Sæcul. XVI.  
 nunc vero ad extrema prolapsus, ejus- A.C. 1521.  
 dem Theologos, quam primum se ab eis  
 damnatum noverat, non modo tanquam  
 primarios veræ Theologiæ corruptores  
 traducebat, sed etiam velut omnium ig-  
 norantissimos, ac totius orbis stupidissi-  
 mos, virosque ingenio, scientia, ac discre-  
 tione penitus privatos calumniabatur,  
 & eisdem ad facultatis censuram per  
 Philippum Melanchtonem, qui fidelissi-  
 mus ejus discipulus, ac in literis huma-  
 nioribus versatissimus erat, responsum  
 dedit, ac si ipsemet id facere, haud dig-  
 naretur.

Melanchton eo tempore in Wittem-  
 bergensi Univerfitate publice docens, id  
 muneris lubens in se suscepit, ac libel-  
 lum edidit, hac inscriptione: *Apologia*  
*pro Luthero adversus furiosum Parisiensem*  
*Theologastrorum Decretum.* Paulo post ip-  
 se Lutherus librum composuit, in quo  
 se Melanchtonis apologiam nomine Pa-  
 risiensem Doctorum confutare simula-  
 bat, ac plura prorsus inepta ac insulsa,  
 velut ab eis prolata stylo admodum bar-  
 baro recitabat, eo duntaxat consilio, ut  
 hosce Doctores omnium ludibrio expo-  
 neret. Præterea scripsit Teutonice ad-  
 versus eosdem.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

§. XXVI.

*Lutheri scriptum contra Angliæ  
Regem.*

*Inter opera  
Luth. contra  
Reg. Angl.*

ERAT equidem Lutheri responsum, quod Henrico VIII. dederat, serium magis, nec minus tamen contumeliis repletum. Præprimis velut immotum principium supponebat, quod non major habeatur ratio coronati cujusdam Principis, quam simplicis plebeculæ, ubi de defendendis Evangelii veritatibus ageretur; ut autem periculosum hoc principium defenderet, librum scripsit tot immoderatæ arrogantiae verbis plenum, ut ejus etiam amici ac Discipuli tantam petulantiam redarguerent; nam in singulis ferme paginis, nil nisi atrocissimas injurias, ac contumeliosas mendacii falso afficti exprobrationes impudentissimo calamo evomuit, & nonnunquam sermone ad Regem converso eundem proterve allocutus est, *Tandem, erubescere Henrice, non jam Rex, sed sacrilege!* Denique effusis ejusmodi injuriis ad ipsam doctrinam descendit, ac in eodem hoc libro palam ita professus est, *parum refert, sive quis in Sacramento Altaris panem permanere, sive non manere credat, ego jam transsubstantio sententiam meam, ac doceo, impium ac blasphemum esse credere, quod panis transmutetur.*

Cete-

Ceterum Lutherus hac lucubratione sua Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.  
nonnisi ignominiam apud ipsos quoque  
Sectatores suos sibi accersivit: Displi-  
cuit enim vehementer ejus amicis, quod  
cum tam enormi contemptu supremam  
inter profanas dignitates auctoritatem  
traduceret, ac sua dogmata petulanti  
adeo calamo defenderet.

## §. XXVII.

*Epistola Erasmi ad Melanctonem de  
furore Lutheri.*

**I**nter ceteros Erasmus quoque pluri-  
mum offenderat immoderata Lutheri  
rabies, quapropter ad Melanctonem  
scribens ita queritur: *In doctrina Lutheri  
multa me offendunt: illud imprimis, quod  
quicquid suscipit defendendum, ibi oppido ve-  
hemens est, nec unquam facit finem, donec  
perferatur ad hyperbolen. Etiam admoni-  
tus adeo non mitigat, ut omnia reddat  
ὑπερβολικώτερα.* His subjungit idem. *Vi-  
deor mihi ex scriptis animum hominis non  
minus deprehendere, quam ex convictu. Est  
ardens ac vehemens ingenium Lutheri, ag-  
noscas ubique Pelidæ stomachum cedere ne-  
scii. Neque tu nescis, quantus sit artifex  
hostis generis humani. Accedit huc tantus  
applausus theatri, quantum vel modestissimum  
ingenium posset corrumpere.*

*Inter Epist.  
Erasmi l. 6.  
Ep. ad Luth.  
l. 14. Ep. 1.  
l. 19. Ep. 3.  
ad Melanct.*

Secul. XVI.  
A.C. 1521.

§. XXVIII.

*Alia opera a Luthero in sua captivitate scripta.*

Lutherus præter libros, quos mox recensuimus, plura alia ad propugnandos errores suos in loco, ubi delitescerat, concinnavit, & præ primis scripsit Theutonice Tractatum de Confessione secreta, ubi in Proemio effutire audebat: *Si Papa & Episcopi a se per libros suos admoniti non mutarent hæc instituta, fore, ut alius eos doceat, non verbis, ut Lutherus, sed factis, & armis.* Post hæc ibi illam duntaxat confessionem, quæ *auricularis* vocatur, impugnabat, nec omnino confessionem rejiciebat, ut ex parvo ejus Catechismo liquet, quem omnes ejusdem Sectatores unanimi suffragio acceptant, in quo disertis verbis asserit: *Coram Deo debemus nos reos agnoscere peccatorum occultorum; coram Ministro oportet tantum ea confiteri, quæ cognoscimus, & sentimus in corde.*

§. XXIX.

*Lutheri liber contra Latomum.*

*Sleid. in com. l. 3. p. 76.* Sub idem tempus Lutherus librum confutare aggrediebatur, quem Jacobus Latomus Lovaniensis Universitatis

tis Theologus, ejusdemque urbis ad D. Petri Canonicus eo fine conscripserat, ut censuram in hujus hæretici libro a Lovaniensi Facultate latam defenderet.

Secul. XVI.

A.C. 1521

Cochl. ann.

1521. p. 43.

Denique in eodem recessu prætenfæ reformationi suæ ultimam manum admovit, ubi haud ultra modestiæ limitibus se cohiberi patiebatur, uti tamen initio fecerat, eoquod tunc, ut aiebat, Papatus errores nondum plene deposuisset. Præterea scripsit prolixum admodum de votis monasticis tractatum, quem Patri suo inscripsit, docuitque, quod ejusmodi vota omnino nulla essent, cum libertati Filiorum Dei directe opponerentur. Hæc iniqua prorsus doctrina omnium vitiorum licentiæ januam aperuit, ac plura Germaniæ monasteria vastavit; Religiosorum enim quamplurimi sacrilega inierunt connubia, suoque exemplo, quod & ipse aliquot post annis secutus est, Luthero præluxerunt.

§. XXX.

*Colloquia Lutheri cum Diabolo.*

Insuper edidit librum *de abroganda Missa privata* ad Fratres suos Augustinianos Cœnobii Wittembergensis directum, in quo istos adhiortatur ad invictum animi

nimi

**Sæcul. XVI** nimi robur, ac constantiam, eosque de  
**A.C. 1521.** Principis ac Electoris Saxonici præsi-

*Hist gest. in  
 Eccl. mem.  
 Ant. de la  
 Bizz. ad an.  
 1521.*

*Inter opera  
 Luth t. 7.  
 tract de  
 Miss priv.  
 fol. 236. Et  
 seq.*

dio securos esse jubet. Hic enim, inquit, Princeps est prudens, ac sapiens, veritatis amator, nec temere ad quævis credenda proclivis. In eodem tractatu Lutherus celebrem illam, quam cum diabolo de abrogandis Missis privatis habuisse credidit, disputationem his verbis recenset. *Contigit mihi semel sub mediam noctem subito expergescere, ibi Satan mecum cepit hujusmodi disputationem. Audi, inquit, Luthere, Doctor perdocte. Nosti etiam, te per quindecim annos celebrasse Missas privatas pene quotidie? Quid si tales Missæ privatae horrendæ essent Idololatriæ. Quid si ibi non adfuisse Corpus, & Sanguis Christi, sed tantum panem & vinum adorasses, & aliis adorandum proposuisses? Cui ego respondi, sum unctus Sacerdos, (\*) accepi unctionem & consecrationem ab Episcopo, & hæc omnia feci ex mandato, & obedientia Majorum. Quare non consecrasset, cum verba Christi serio pronuntiarim, & serio Missas celebrarim? Hoc nosti. Hoc totum, inquit diabolus, est verum, sed Turcæ, & Gentiles etiam faciunt in suis templis omnia ex obedientia, & serio*

---

(\*) Lutherus Mense Aprili anno 1507. sacro Presbyteratus Ordine initiatus, | secundo Maji primum Sacrum celebravit.

*Serio Sacra sua faciunt, Sacerdotes Jero-* Sæcul. XVI  
A.C. 1521.  
*boam faciebant etiam omnia certo zelo &*  
*studio contra veros Sacerdotes in Jerusa-*  
*lem. Quid si tua ordinatio & consecratio*  
*etiam falsa esset, sicut Turcarum, & Sama-*  
*ritanorum falsi Sacerdotes, falsus & impius*  
*cultus est? „ Dic quæso, quando priva-*  
*„ tam celebrasti Missam, solusque Sa-*  
*„ cramentum sumpisti, nec illud aliis*  
*„ communicasti, nonne contra Christi*  
*„ Institutionem egisti? Quare tu tuique*  
*„ similes non itidem docetis, quod qui-*  
*„ libet seipsum baptizare potest? Qua-*  
*„ re matrimonium dici non deberet, si*  
*„ quis se secum ipso desponsat? qua-*  
*„ ratione fieri potest, quod tu pro te*  
*„ solo hoc Sacramentum conficere ve-*  
*„ lis? „ His subjunxit Lutherus, quod*  
*hisce argumentis ac rationibus devictus*  
*Diaboli consilio acquieverit, „ non enim,*  
*„ inquiebat, diffiteri possum, quod hu-*  
*„ cusque peccaverim, nec etiam nega-*  
*„ re valeo, quod peccatum meum fue-*  
*„ rit gravissimum, minus vero inficias*  
*„ ire possum, quod mortem & damna-*  
*„ tionem promerear. „*

## §. XXXI.

*Wittembergensis Universitas ab Ele-*  
*ctore Saxonico circa Missam*  
*consulta.*

**H**unc Lutheri librum Wittembergen-  
 ses

*Sæcul. XVI.* ses Augustiniani eo lætiori animo  
*A.C. 1521.* excipiebant, quod ipsi instigante Carol-  
~~stadio~~ stadio jam ante Missas privatas abro-  
*Sleid in com.* gassent. Verum Fridericus Saxonix  
*l. 3. p. 77.* Elector in amplectendo hoc errore tar-  
 dior erat, veritus, ne ejusmodi aulus  
 ingentes in ditione sua tumultus exci-  
 tarent, quapropter omnes Wittember-  
 gensis Academix Doctores convocabat,  
 eorum sententiam rogaturus. Depu-  
 tantur igitur ad illum ab Universitate  
 quatuor Theologi, Justus Jonas, Philip-  
 pus Melanchton, Nicolaus Ambsdor-  
 fius, & Joannes Dœlz de Veltkirch, qui  
 habito frequentius cum Augustinianis  
 colloquio tandem Friderico expone-  
 bant, quod Missæ privatæ in magnam  
 Cœnæ Dominicæ injuriam cederent,  
 proin rogare se aiebant, ut illas non mo-  
 do in una sola Ecclesia, sed in omnibus  
 statibus suis abrogaret, ac revocaret  
 veterem Cœnæ usum juxta Christi Do-  
 mini præceptum, & Apostolorum con-  
 suetudinem, audacter ergo contemnat  
 opponentium probra, ac perpendat,  
 quod cunctis, quibus sanam Evangelii  
 doctrinam tueri cordi esset, multa tole-  
 randa insent: hinc singulare benefi-  
 cium, quod a Deo accepturus esset, gra-  
 to animo recipiat, promptequè arripiat  
 occasionem adeo propitiam, qua Evan-  
 gelii

geli lucem inter subditos suos revocare possit.

Sæcul. XVI.

A. C. 1521.

His reposuit Elector, Ego quidem ad amplectenda ea, quæ pietatem concernunt, semper paratus sum, ast id, quod consulitis, non minus difficilis, quam summi momenti res est, non ergo præcipiti utendum consilio arbitror; quippe ad introducendum novum morem soli quatuor doctores vere non sufficiunt, sed a majori suffragantium numero nonnisi post maturam deliberationem res, de qua agitur, decidenda est, si vero causa, quam defenditis, S. Scripturæ testimonio innitur, plures eidem & nobis suffragaturos, haud dubito, tuncque hæc mutatio, quam petitis, ac pietate plenam, imo & necessariam censeatis, non sine magna utilitate, & absque obstaculis stabiliri poterit. His addebat, non equidem Sacræ paginæ scientiam profiteor, mihi que tempus, in quo Missæ privatæ usus, quem condemnatis, in Ecclesiam introductus fuit, incognitum est, id tamen perbene scio, plures Ecclesias, pluraque monasteria eo consilio condita, ac prædiis, certisque redditibus eo fine fuisse ditata, ut in illis ejusmodi Sacrificia fierent; si igitur pinques hi proventus Ecclesiis, Cœnobis ac Beneficiariis hunc in finem relictæ auferentur, proin Missæ haud amplius



Sæcul. XVI  
A.C. 1521.

amplius celebrarentur, horren-  
di prorsus inde tumultus exorientur, quorum  
solus ego Auctor existisse proclama-  
bor. Illud igitur meum est consilium,  
ut re cum præcipuis Academiæ ac Cle-  
ri membris prius discussa, doctrina ac  
probitate magis conspicui totum nego-  
tium tanta moderatione deciderent, ut  
felicite omnes tumultus, scissiones, ac  
seditiones in populo præcaveantur.

§. XXXII.

*Missæ privatae a Wittembergensibus  
abolitæ.*

*Steid. l. c. 1.3.*  
*P. 77.*

Ergo Deputati, postquam cum ceteris  
sui Ordinis Doctoribus hac super re  
deliberationem habuerant, postera die,  
quid consilii cepissent, ad Electorem re-  
tulerunt, dicentes: una nostrum omnium  
opinio est, Missas privatas omnino ab-  
rogandas, idque absque strepitu effe-  
ctui dari posse, si vero præter expecta-  
tionem turbæ fuscitarentur, nihilominus  
rem esse aggrediendam censemus; adeo  
enim enormis hac in re corruptela  
invaluit, ut illam tollere, omnino ne-  
cessarium sit; nec novum videri debet,  
quod nonnulli exurgant, qui sese rei san-  
ctæ ac honestæ constitutioni opponent;  
jam enim ab exordio mundi plebis  
multitudo sanæ doctrinæ restitit, nec  
deerunt

deerunt tamen, quibus ex speciali Dei Sæcul. XVI,  
A.C. 1521.  
beneficio datum, ut legitimum Cœnæ  
Dominicæ usum approbent, ac recipiant;  
subjungebant iidem etiam, quod Missæ  
ritus a sacris literis præscriptus a-  
deo manifeste a privati Sacrificii usu  
differat, ut longior deliberatio prorsus  
supervacanea existeret: præterea con-  
gregationes, ac societates nec ideo re-  
ditibus ac possessionibus auctæ fuerunt,  
ut certum Missarum privatarum nume-  
rum celebrent, sed ut juventutem scien-  
tiis, ac pietatis solidæ institutis imbuant,  
unde iidem proventus tam Magistris,  
quam ejusmodi Discipulis assignari, at-  
que ad pauperum subsidia impendi po-  
terunt; denique Electori suggerrere hæud  
dubitabant, quod hic usus usque ad  
S. Bernardi ætatem in Ecclesia vige-  
rit, ac primum quadringentis abhinc  
annis turpis iste Missarum quæstus in-  
valuerit, proin omnino extirpandus sit;  
quo magis enim, aiebant, hæc profana-  
tio fenesceret, eo minus toleranda esset;  
suscitabit equidem hæc mutatio quos-  
dam tumultus, id tamen nequitix dun-  
taxat illorum adscribendum venit, qui  
pietatis ocores repugnante etiam ipsa  
conscientia ob lucri jacturam veritatem  
impugnant. Placuit Electori horum  
responsum, ac propterea Missæ privatæ  
primo in Wittembergensi civitate, ac  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIV.* F pau-

Sæc. XVI  
A C 1521.

paulo post in omnibus Saxoniae ditionibus abolitæ sunt. Ex hujusmodi ausibus haud obscure colligebatur, quod Caroli V. edictum quantumvis severissimum periclitanti Religioni parum succurreret, nec hæresis progressus in Germania ullatenus filteret.

§. XXXIII.

*Initia belli inter Carolum V. & Franciscum I.*

Interea Carolus V. die vigesima quarta Aprilis Wormatiensia solvebat comitia, priusquam vero ipse inde in Flandriam emigraret, Sedis Apostolicæ Nuncium impense rogabat, ut datis literis summum Pontificem certiore redderet, a se Legatos Romam mittendos, qui pro se ad Neapolis Regnum diploma obtinerent. Exposuit Carolo Nuncius, summum Pontificem, ut Cæsaris precibus annueret, minus propensum esse. Percepto hoc responso; *ergo, ipse, inquit, Romæ Papam adibo, ac quadraginta armatorum millibus stipatus mea eidem offeram obsequia. (\*)* Ejusmodi  
di

---

(\*) Ejusmodi verba a piissimo Cæsare fuisse prolata, valde dubitamus, ubi nec unicum a Continuatore, testem allegatum videmus, ac ceteri

di responsum Leo, ubi percepit, ægerri- Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.  
me ferebat; cum vero in festo S. Petri  
solitum eidem tributum offerretur, pla-  
catus Cæsari in Neapolis Regnum inau-  
gurationis diploma additis etiam novis  
privilegiis transmisit.

Sub idem tempus pristina Carolum Guicci. l. 14.  
inter & Gallix Regem simulas revixit,  
adeo, ut utrinque ad arma deventum.  
Hujus dissidii causam Guicciardinus in  
Leonem Pontificem conjicit, eo quod  
jam cum illo, jam cum isto de societate  
agere cæperit, sed præprimis cum Gallo,  
quem faciliorem sciebat. (\*)

§. XXXIV.

ceteri Scriptores, Natalis Alexander, Paggius,  
Odoricus Raynaldus, Bzovius, Spondanus, Pa-  
latius &c. alium de hoc tenent silentium.

(\*) Spondanus ad annum 1521. num. 6 ita  
hanc in rem differit: *Præcipuam dissidii causam  
Guicciardinus libere semper suspiciones  
suas vero admodum similes promere solitus, in  
Papam conjicere non dubitavit, qui scilicet sive  
aliis cogitationibus pro utilitate Ecclesie Ro-  
manæ ductus, sive nominis sui gloria, sive ut  
utrumque Regem Italia pelleret, eos inter se  
committere necessarium existimans, cum utroque  
de societate agere cæperit, sed arctius cum Gal-  
lo, quem faciliorem sciebat. Veras autem dis-  
sensionis causas apud eundem enarrat Bella-*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.

§. XXXIV.

*Francisci I. molimina in Navarræ  
Regnum.*

Igitur Rex pacta armorum societate cum Henrico VIII. Angliæ Rege protinus Navarræ Regnum bello aggredi constituit. Opportune savebat ejus consiliis mota in Cæsarem conjuratio; tota enim ferme Hispania seditione exarserat, jamque plurimæ, juxta ac nobilissimæ urbes a Caroli fide defecerant; Accessit etiam, quod Hispaniæ Rex in Noviodunensi foedere pollicitus esset, se infra quadrimestre Henrico Albreto Navarram redditurum, ita quidem, ut tunc si fidem falleret, Francisco Galliarum Regi integrum foret, ad recuperandum hoc Regnum Henrico suppetias ferre, quam tamen conditionem non adimpleisset Carolus. Præterea ambo Hispaniæ

jus, præter Palatium in Carol. V. num. 78. & in Leon. fol. 797. ac Bzovium num. 27. qui Leodiensem Episcopum Gallorum Regis præsidio ac pecunia fretum Carolo Wormatiæ palam bellum denunciasset, ac inde Pontifici ingentem dolorem accessisse refert, eo quod Cæsar ejusmodi turbis distraheretur, ne causam fidei Catholicæ etiam armis tueri poterit. *Vide infra §. 38.*

spaniæ Rectores, ut exercitus contra re- Sæcul. XVI.  
belles destinati vires auferent, ex Pam- A.C.1521.  
pelonensi, aliisque Navarræ urbibus  
præsidia eduxerant.

## §. XXXV.

*Tota ferme Navarra ab Asparro  
subacta.*

Secundo hoc rerum concursu animatus Galliarum Rex, ineunte Mense Martio hujus anni Andream Fuxium Asparum Lautreci Marescalli fratrem cum exercitu in Navarram misit. Hic cum suis strenue procedere jussis, cum regnum milite vacuum reperiret, præpripriis S. Joannis Pedoportuensis oppidum, quod veluti regni clavis erat, in suam potestatem redegit. Accepto hoc nuncio Najarrus Dux Regni Pro-Rex die decima septima Maji Pampelona excessit, nonnulli tamen Nobiles Hispani ad arcem confugerunt, illam quamdiu possent, obfirmato animo propugnare parati. Hos inter celebris quoque Ignatius Loyla, patrio nomine Inigo dictus numerabatur, qui Ognessii ac Loiolæ Dynasta inter Jupuscanos nobiles facile princeps erat.

Interea Asparrus quindecim dierum spatio totam ferme Navarram armis subegit, quam sorte Cæsar ægre recuperasset,

Sæcul. XVI  
A. C. 1521

perasset, si victor diutius ibidem moram traxisset; ast vel aucupandæ gloriæ cupidus, vel Regis Domini sui commoda procurandi studio abreptus, Jupuscanam invasit Provinciam, ibique Lugrunium obsidione cinxit. Re comperta Hispaniæ Rectores quantocius, quot quot poterant, copias contrahebant, ut Gallos, qui Navarra haud contenti, Hispaniam quoque sibi subjicere parabant, totis viribus propulsarent. His quoque suas jungebant copias ipsi etiam seditiosi, qui nuper acceptata veniæ gratia ad Caroli Regis obsequium redibant, quorum olim caput erat Petrus Giron, jam nunc hujus exercitus Dux.

§. XXXVI.

*Galli ab Hispanis cæsi, ac Navarra Regno pulsi.*

*Joan. Ant.  
de Vera hist.  
de Charles V.  
p. 86.*

Interea Asparrus Lugrunii obsidioni intentus nuncium accepit, quod exercitus suo longe superior appropinquaret, quapropter sese Pampelonam versus recipere contendit, ast cum Hispani ejus adventum prævenirent, utraque acies in agro Scirano nonnisi una leuca a Pampelona in conspectum venit; unde utrinque certaminis necessitas instabat; ac sub primis pugni auspiciis Asparrus secunda usus fortuna, primos Hispan-

Hispani equitatus ordines perrumpere-  
 bat, verum cum Castellæ Admiralis op-  
 portune auxilium suppeditaret, cæsi  
 sunt Galli, desideratis suorum quatuor  
 millibus, ipsoque Asparro capto. Con-  
 tigit hæc clades die trigesima Junii,  
 quam totius Navarræ regni jactura se-  
 quebatur, Hispanis illius possessionem  
 majori, quam Galli ceperant, celeritate  
 recuperantibus. Doluit vehementer  
 Galliarum Rex, quod non modo exer-  
 citum suum infausta hac expeditione  
 fatigaverit, sed etiam Carolo Cæsari,  
 quæ adversus eum consilia moliretur,  
 manifesta fecerit, interceptis quibus-  
 dam literis, quæ Asparro ereptæ fue-  
 rant.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1521.

§. XXXVII.

*Robertus de la Marck seu Marchia-  
 nus a Galliarum Rege in Cæ-  
 sarem concitatus.*

Eodem tempore, quo Franciscus I. Gal-  
 liarum Rex Navarram infestis armis  
 opprimi jusserat, Robertum Marchia-  
 num Sedani & Buillonii Dominum ad  
 seditionem contra Carolum V. concita-  
 vit. Nec dudum deerat quæsitæ belli  
 occasio; Chimacensis enim Princeps  
 ex Crojorum Familia ortus cum Aime-  
 rio Barone capitali horum inimico de  
 F 4 urbe



**Sæcul. XVI.** urbe Hierga in Arduenno agro sita ju-  
**A.C. 1521.** dicio contendebat, quam etiam Rober-  
 tus per Ducatus sui Proceres Chima-  
 censi adjudicabat. Aimerius, postquam  
 causa cecidit, a Cæsare prosequendæ  
 appellationis diploma petiit, obtinuit-  
 que, quo eidem datum, ut Chimacensis  
 Principis liberos in iudicium coram  
 Brabantiae Cancellario ad hoc nego-  
 tium deputato vocare posset. Rober-  
 tus Marchianus pupillos, quorum Tu-  
 tor erat, ibi comparere iussos, ac supre-  
 mum (ut contendebat) Buillonii impe-  
 rium labefactatum indignatus, quosdam  
 ad Cæsarem ablegabat, qui jus suum de-  
 fenderent; cum vero Carolus ejusdem  
 postulatis annuere recusaret, Robertus  
 Gallorum partibus sese addixit, ac Re-  
 morantini Franciscum Regem adiit, a  
 quo perbenigne exceptus, ejusque præ-  
 sidio inflatus, Cæsarem missis literis ad  
 pugnam provocavit, ac Fleurangium  
 filium suum natu majorem cum quatuor,  
 aut quinque armatorum millibus præ-  
 misit, ut Virtonum Lucemburgensis  
 Provinciae urbem Carolo V. subditam  
 obsideret.

## §. XXXVIII.

*Causa dissidii inter Carolum V. &  
 Franciscum I.*

**E**x hac agendi ratione haud obscure per-

perspexerat Imperator, quod Franciscus I. studiose jurgia suscitare quæreret, ut pristinam cum eo amicitiam solvendi obtentum haberet, quibus accessit jam nota de Regno Navarrensi contentio: his igitur de causis brevi ambo Principes in aperta eruperunt dissidia. Equidem Angliæ Rex pacem conciliaturus Legatum misit, qui Galliarum Regem admoneret, ne adversus Cæsarem quovis pacto hostiles ausus exerceret. At Franciscus tunc *Sacro-Cæsare* agens, Legato reposuit: Non ego belli Carolum inter & Marchianum auctor sum, quinimo subditis meis prohibebo, ne Roberti stipendia mereantur, jubebo etiam, ut idem litem suam cum Aimerio Barone dirimat, quin armis Cæsarem invadere præsumat. Enimvero ad Regis jussa Fleurangins exercitum suum dimisit, & Franciscus I. Montpesatum ad Angliæ Regem eo consilio ablegavit, ut cum illo de pace inter Imperium, & Franciam firmanda ageret; eodem tamen tempore Pontificem sollicitavit, ut junctis cum eo viribus, ac inuito fœdere Neapolis Regnum invaderet.

Sæc. XVI.  
A.C. 1521.

Secul. XVI.  
A. C. 1521.

§. XXXIX.

*Francisci Regis consilia de fœdere cum  
 Papa ineundo.*

Quamvis forte ejusmodi fœdus summo Pontifici minus displiceret, de sincero tamen ejusdem animo dubitandi locus est; facile enim prospicere potuit, nullatenus e re sua fore, quod idem Rex, qui jamjam Mediolani Ducatum possidebat, simul etiam Neapolis Regnum sibi subjiceret. Nihilominus mutuæ societatis articuli eriguntur, quorum præcipuus erat, ut communibus expensis Neapolis Regnum expugnaretur, ea tamen lege, vi cujus omnes ditiones, quæ Umbriæ, Spoleti, & Anconæ Provinciis, necnon Lyri fluvio interjacent, statui Ecclesiastico rursus jungantur, reliqua vero Regni pars dato hanc in rem investituræ diplomate cedatur secundo genito Regis Franciæ filio, qui quoque Henricus nuncupetur; cum vero hic nonnisi unum ætatis annum ageret, Cardinalis Legati, qui Neapoli sedem suam figeret, tutelæ committatur, donec juvenis Princeps decimum quartum ætatis annum attigisset. Cum vero summus Pontifex nuper Ballionium capite truncari jussisset, ut adversus Filiorum, qui Patris sui mortem

mortem

mortem ulcisci moliebantur, insultus se-  
 curus esset, insuper cavebatur, ut Me-  
 diolanensium copiæ ad debellandos Se-  
 dis Apostolicæ hostes destinarentur.  
 Præterea Galliarum Rex daturum se o-  
 peram pollicebatur, ut etiam Veneti  
 huic fœderi accederent. Ast ejusmo-  
 di societatis pacta utrinque firmari, Rex  
 parum sollicitus erat, sive quod in ex-  
 pugnano Neapolis regno serio a Papa  
 iuvari diffideret, sive quod aliis forte ne-  
 gotiis distentus esset.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1521.

§. XL.

*Fœdus a Papa cum Cæsare adversus  
 Gallos initum.*

Profuit hæc Regis cunctatio Pontifici  
 non minus ac Cæsari, qui a Papa  
 Neapolitani Regni diploma obtinuit, eo  
 pacto, ut quotannis in Festo S. Petri se-  
 pties mille scuta Romana tributî nomi-  
 ne penderet, quibus ita sancitis summus  
 Pontifex cum Carolo Cæsare fœdus  
 percussit, cujus præcipui articuli erant  
 sequentes. I. Papa & Imperator bel-  
 lum conjunctis viribus in Gallos mo-  
 veant, ut eos e Mediolanensi Ducatu ex-  
 pellerent, & Franciscum Sfortiam, qui  
 Tridenti exulabat, suo imperio redde-  
 rent. II. Parma & Placentia Sedi A-  
 postolicæ a Gallis ereptæ summo Pon-  
 tifici

Sæcul. XVI tifici restituantur. III. Mediolanenses  
A.C. 1521. incolæ nullo alio sale utantur, quam ex  
 falinis Cerviæ, quæ erat ditionis Ec-  
 clesiasticæ urbs. IV. Cæsar in occu-  
 panda Ferraria Pontifici auxilium præ-  
 stet. V. Regni Neapolitani tributum  
 Pontifici a Cæsare pendendum augea-  
 tur. VI. Imperator Medicæam Domum  
 protegat. VII. Ex Archiepiscopatus  
 Toletani proventibus Medicæo Cardi-  
 nali decem millium solidorum pensio-  
 nem assignet. VIII. Denique Alexan-  
 dro Medicæo ultimo Urbini Ducis No-  
 tho in Neapolis Regno Principatus, ex  
 quo totidem aureorum nummum millia  
 perciperet, promittatur. Hæc pacta  
 taciturnitate summa premebantur.

## §. XLI.

*Caroli V. querelæ adversus Fran-  
ciscum I.*

**H**aud diu viguit concordia, quam An-  
 glorum Rex Cæsarem inter & Gal-  
 liarum Regem conciliaverat, prævalen-  
 te animorum exacerbatione, ob quam  
 eorum neuter iræ suæ temperare pote-  
 rat. Præprimis utrinque publica evul-  
 gabantur edicta, quibus ambo justas que-  
 rendi causas subditis suis manifestabant.  
 Inter ceteras Imperator duas allegabat  
 injurias, quibus Maximilianum a Caro-  
 lo

lo VIII. Galliarum Rege affectum contende-  
 bat. Harum prima erat, quod Sæcul. XVI.  
 A. C. 1521.  
 Carolus Margaritam Maximiliani Filiam  
 sexto post firmatum connubium anno  
 ad suos remisisset, ac ne hac quidem  
 contumelia contentus, insuper (quod &  
 alterum conquerendi caput erat) non  
 sine nova ignominia Annam de Brit-  
 tannia eidem Maximiliano, cui jamjam  
 desponsata erat, violenter surripuisset.  
 His præterea addidit Cæsar, questus,  
 I. quod Franciscus I. Claudiam Ludo-  
 vici XII. Regis filiam natu majorem du-  
 xisset, quamvis eam Cæsari in matri-  
 monium dare promisisset; II. quod Lu-  
 dovicus XI. Burgundiæ Ducatum Ma-  
 riæ de Burgundia Avixæ suæ per sum-  
 mum nefas eripuisset, ac Ludovicus XII.  
 nil intentatum reliquisset, ut inter Ca-  
 rolum Cæsarem & Ferdinandum Catho-  
 licum, suum ex linea materna Avum  
 dissidia suscitaret, eundemque compu-  
 lisset, ut ejus neptin Germanam Gasto-  
 nis Comitis de Fuxo filiam secundis  
 nuptiis sibi copularet, ea conditione in  
 pactis connubii Anno millesimo quin-  
 gentesimo quinto inserta, ut in liberos,  
 si quos ex suo thoro suscepturus esset,  
 in Neapolis Regno succedendi jus trans-  
 ferret. Ultimo tandem Gallis expro-  
 brabat Carolus, quod Franciscus I. nu-  
 per Mediolani Ducatum usurpasset, qui  
 tamen

Sæc. XVI. tamen Sfortiæ ac Imperio obnoxius ef-  
A.C. 1521. set, eoquod conditionibus, a quibus il-  
 lius dominium pendeat, non adimple-  
 tis, inaugurationis diploma haud am-  
 plius valeret, vi cuius tamen folius Gal-  
 liarum Rex tunc Ducatum sibi vendi-  
 care poffet.

## §. XLII.

*Mutuae Francisci I. de Carolo Cæsare  
 quærelæ.*

Nec suæ Francisco deerant querendi  
 cauffæ, ac primo quidem violatam  
 duplicis promiffi fidem opponebat, eique  
 exprobrabat, quod in Noviodunensi tra-  
 ctatu cautum fuiffet, ut Navarræ Re-  
 gnum Henrico Albreto redderetur, data  
 centies mille aureorum pensione, hac-  
 que sub lege, Franciscus omnibus juri-  
 bus fuis in Neapolis regnum cefiffet;  
 Carolus tamen hucusque fideri Viri  
 partes explere, datamque fidem libera-  
 re parum fuiffet follicitus, quinimo non  
 modo femestre, quod ad folvendam pro-  
 miffi fidem concedebatur, præterlabi  
 permiffiffet, fed etiam nequidem ad mo-  
 nita, quæ pactis utrinque firmatis per  
 duos vel omnino tres annos iterata fue-  
 rant, unquam respondere voluiffet.  
 Alterum, de quo Galliarum Rex con-  
 querebatur, erat, quod Carolus ob Flan-  
 driæ

drisæ & Arthesiæ Comitatus Francisco Carol. XVI.  
 clientelare obsequium præstare recusa- A. C. 1521.  
 verit, & quamvis jam olim sese eidem  
 obnoxium esse professus esset, nunc ve-  
 ro ea duntaxat ex causa (ut inquiebat  
 Rex) sese subjicere renueret, quod e-  
 jusmodi subiectio Imperiali Majestati  
 parum congrueret, ac omnino adversa-  
 retur.

## §. XLIII.

*Belli initia Caroli V. adversus  
 Franciscum I.*

Tandem a verborum contentione res  
 brevi ad armorum violentiam deve-  
 nit: quamprimum enim Carolus V. fœ-  
 dere nuper inito de Pontificis auxi-  
 lio certus erat, Henricum Nassoviæ Co-  
 mitem in Robertum Marchianum mo-  
 vere jussit, moxque Henricus in Bullio-  
 nensi Ducatu quatuor aut quinque ur-  
 bes occupavit, & Nivellum Logniæ Gu-  
 bernatorem, ac viginti ferme præsidia-  
 rios Meslancurtii laqueo suspendi  
 curavit, ac demum Bullionensi urbe per  
 civium proditionem occupata Gerna-  
 cum secundum Roberti Marchiani filium  
 captum Namurcum abstraxit. His vi-  
 ctoriis contentus Imperator, sex septi-  
 manarum inducias Roberto indulsit;  
 verum Caroli copiis indies auctis Fran-  
 ciscus



Sæcul. XVI.  
A. C. 1521  
*Mortagne* ciscus I. suspicari cæperat, Cæsarem ca-  
stigato licet Bullionio Duce nequaquam  
tamen arma positurum. Nec sua eum  
fefellit opinio; quippe Liquesii Domino  
datum erat negotium, ut Moritaniam  
& S. Amandi oppidum expugnaret,  
quæsito expeditionis obtentu ex lite in-  
ter Liquesium, & Borbonium Cardina-  
lem Sancti Amandi Abbatem exorta:  
Igitur Moritania urbe in deditionem ac-  
cepta Flandriæ Gubernator Tornacum  
obsidione cinxit.

## §. XLIV.

*Franciscus I. apud Angliæ Regem  
questus.*

**H**os armorum successus Franciscus  
Galliarum Rex belli, quod sibi nun-  
ciaretur, præludia fore censebat; qua-  
propter Henrico Anglorum Regi, qui  
nuper pacis conciliatorem egit, exponi  
curabat, se ad arma adversum Cæsarem  
capessenda compelli; nil enim propius  
esse, quam ut ab eo armis peteretur.  
Francisco reposuit Henricus, pacem, si  
desideras, in tuo arbitrio positam scias,  
honestis, quas Carolus V. proponit con-  
ditionibus, aures præbeto: si vero in-  
eunte Mense Augusto ambo vestros Le-  
gatos plena agendi facultate instructos  
Caletum mittere velitis, & ego Volse-  
jum,

jum, qui nomine meo pacem concilia- Sæcul. XVI.  
 bit, eo decernam. Placuit summopere A. C. 1521.  
 Cæsari hoc Regis consilium, prosperum  
 inde successum sibi pollicitus, eo quod  
 Volsejum Cardinalem sibi propensum  
 nosset. Nec Galliarum Rex propo-  
 situm colloquium rejicere audebat, quam-  
 vis aliunde agendi ratio, quam Angliæ  
 Rex tenebat, jure sibi parum probata  
 esset: necdum tamen cognoverat, Vol-  
 sejum Cæsaris partibus ex integro ad-  
 dictum esse. Ergo inter eos convenit,  
 ut Cæsaris nomine Cattinara Cancel-  
 larius, pro Galliarum Rege Pratus Can-  
 cellarius, & Selva Præses unacum A-  
 postolico Pontificis nuncio & Cardina-  
 le pacis conciliatore Calletum mitteren-  
 tur, illucque omnes ad diem quartum  
 Mensis Augusti præsentés adessent.

## §. XLV.

*Colloquium Calletense circa dissidia  
 Carolum inter & Fran-  
 ciscum.*

**T**empore ad colloquium præstituto De-  
 legati plena facultate instructi una  
 omnes Calletum venerunt. Discutie-  
 bantur ibi jura Cæsarem inter & Fran-  
 ciæ Regem per Cattinaram & Pratum  
 Cancellarios summa cum solertia ac in-  
 tegritate: ubi vero rem decidere oport-

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXXIV. G tuis-*

Sæcul. XVI  
A. C. 1521.

tuisset, neuter juri suo cedere volebat: Imperator enim Burgundiæ Ducatum, eo quod masculis nullatenus clientelari lege debitus esset, sibi reddi constanter postulavit, contenditque, sibi quoque supremum Flandriæ & Arthesiæ dominium deberi; cum Cæsarea, ut ajebat, Majestate indignum foret, si alterius imperio subjiceretur. Ex adverso Prætor continuo Cæsaris Legato reponerat, quod tres hæc ditioes avelli non possent, quin præcipua Gallicæ Monarchiæ lex penitus everteretur, si vero id fieri tandem valeret, nihilominus tam magna a Cæsare exigi haud possent, nisi Gallia ejus armis penitus profligata. Ob hæc verborum contentiones colloquium effectu caruit, & aliunde ex Cardinalis Volsei consiliis haud obscure colligebatur, non eo illum animo illuc venisse, ut pacem inter contententes ambos Principes procuraret, sed potius, ut Cæsaris partibus sese addicendi obtentum Regi Domino suo suppeditaret.

## §. XLVI.

*Musomum a Cæsaris exercitu obsessum, captumque.*

Cum interea Calleti ultro citroque verbis irritò prorsus conatu litigaretur,

retur, Nassoviæ Comes, qui in Buillio- æcul. XVI.  
 nii Ducis ditionibus castra metabatur, A.C. 1521.  
 trajecta Mosa Musomum cinxit. Urbs  
 est in Campania ambitu suo quidem e-  
 xigua Lucemburgum versus Sedanum  
 inter & Stenæum sita, loci tamen op-  
 portunitate valde celebris, ac proficua:  
 Cum vero Montmortius illius Præfe-  
 ctus milite præfidiario destitutus esset,  
 Cæsarei exercitus potentiae resistendo  
 impar deditorem facere compelleba-  
 tur. Ipfus ergo cum suo Locumtenen-  
 te Nassoviæ Comitem adiit, hic vero  
 improvida eorum fiducia abusus illos  
 detinuit, donec præfidiarii penitus urbe  
 excessissent, quo facto Cæsarei Auban-  
 tonium, ignobile quoddam oppidum de-  
 prædabantur, ac connivente Comite  
 Nassovienti in omnem licentiam effun-  
 debantur.

## §. XLVII.

*Maceriaca a Cæsareis obsessa, ac  
 liberata.*

Primis hisce victoriarum auspiciis Co-  
 mes animo erectus, Maceriacam  
 quoque exiguo suorum dispendio occu-  
 pare sperabat. Pariter hæc civitas in  
 Campania ad Mosam Sedano & Carolo-  
 pi interjacebat cuidam ferme insulæ  
 imposita, quam annis alluens hinc col-

**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1521**

*Hist du Che-  
val. Bajard.*  
*c. 63.*

*Lorges*

le, illinc valle includit. Propugnabat illam cum ducentis equitibus, ac duobus recentis militiae millibus Bajardus Eques magnæ spei juvenis ex Illustri domo Tarilla & Anna Morentiaca progenitus. Verum ad primos Cæsareorum incurfus altera hujus præsidii pars per urbis portas fuga dilapsa est, ceteri per muros sese præcipites dederunt: suorum tamen ignavia Bajardi animus adeo non frangebatur, ut & copiarum defectum supplente illius fortitudine, Galliarum Regi suppetias ferendi spacium præberet: Postquam igitur auxiliares hæ copię opportuno admodum tempore ductore Francisco Montogomerio Leonicæ Toparcha advenerant, Seguineus, qui Cæsarei exercitus partis Mosam castra metanti imperabat, trajecto flumine vires suas Comiti Nassoviensi jungere festinabat; cujus repentini consilii causam præbebat cujusdam rustici captivitas, qui a Cæsareis interceptus epistolam habebat velut a Bajardo ad Robertum Marchianum directam.

Scribebat commentitius iste Bajardus hunc in modum: Notum tibi sit, Nassoviæ Comitem firmo constituisse animo, ut relictis Caroli vexillis Gallorum partibus proxime accederet; hinc rogo te, urgeas illum, ut quantocius consilium

consilium suum exequatur; duodecim Sæcul. XVI.  
 enim Helvetiorum millia Seguinei ca- A.C. 1521.  
 stris instant, ea everfuri. Igitur Gallo-  
 rum suppetiæ hanc rerum vicissitudi-  
 nem in rem suam vertentes urbem præ-  
 sidio vacuam ingrediebantur, quo com-  
 perto Nassovius obsidione soluta ad Na-  
 murcensem Comitatum sese recepit.

## §. XLVIII.

*Gallorum victoriæ in Belgio.*

Paulo post S. Pauli Comes Musomum  
 recuperavit, ac tota demum Cam-  
 pania hostili exercitu purgata Francis-  
 cus I. copias suas in Belgium duxit, u-  
 bi Cæsarei Tornacum assidua obsidione  
 premebant. Præprimis Vindocinensis  
 Dux Balmam, Landrecium, & Bunium  
 urbes toto unoque impetu aggressus  
 est, captasque solo æquavit: Cum ve-  
 ro Cæsar exercitum suum ad Valentia-  
 nas duceret, Rex strenue hostem suum  
 insequi atque ad prælium provocare sta-  
 tuit; ad id tamen obtinendum oportebat  
 superare Scaldim, quam ob rem  
 Rex quantocius Comiti S. Pauli nego-  
 tium dedit, ea parte, quæ Bunio subja-  
 cet, flumen ponte jungeret. Hujus  
 consilii executionem, ut impediret Nas-  
 sovix Comes, nulla mora accurrebat,  
 mille ducentis peditibus, ac duobus mil-  
 libus

Sæcul. XVI libus equitum stipatus. Verum Nassoviensem prævenit Comitis solertia; A. C. 1521. quapropter ille toto, quod adhibuit, studio plus efficere non potuit, quam ut reliquam Gallici exercitus partem transitu prohiberet, demum vero ipsemet haud parum sollicitus erat, quomodo exercitum suum subduceret, cum is non nisi tertia leuca a Gallorum occursum distaret. Hoc autem ut eluctaretur periculum, octingentos præmisit equites, dato negotio, ut eo in loco, qui Comiti S. Pauli vicinior esset, aciem latius distenderent, ibique firmo pede persistere, donec peditum agmina castra movissent.

## §. XLIX.

*Cæsareos profligandi occasio a Francisco Rege neglecta.*

Sub idem tempus Borbonius Constabilis quosdam Tribunos exploratum misit, qui eidem nunciabant, hostem motis castris aufugere. Ergo habito mox belli Senatu decretum, ut primum Gallorum agmen sese in octingentos illos Cæsaris equites effunderet, eorum peditibus a tergo instaret, & tamdiu fugientium iter præpediret, donec media simul ac postrema Gallici exercitus acies suppetias venisset. Hæc eadem

eadem quoque sententia Trimollio, & Cabannio Marescallo infederat, ac Helvetii etiam, quos ea die ipsemet Rex ducebat, ingentem pugnandi aviditatem testabantur: nec idem tamen placuit Castellonio Marescallo; dicebat enim, densissimam esse nebulam, nec hostem ab amico discerni posse, in hac ergo incertitudine Regis vitam tanto discrimini haud exponendam. Annuebant ceteri, præpostero tamen successu; amisit enim Franciscus occasionem, qua bello vix suscepto totum Cæsaris exercitum penitus delere potuisset; secundus quippe prælii eventus adeo certus erat, ut Imperator exercitus sui cladem pertimescens primus Valentianas aufugerit.

§. L.

*Fons rapidus a Bonniveto Admirali expugnatus.*

In Hispania Bonnivetus Admiralis Fontem rapidum Regis nomine expugnavit, missoque nuncio Franciscum hac de re certiolem reddidit, significans, sperare se, brevi oppidum quoque Sancti Sebastiani Gallorum armis subactum iri.

*Mem. du  
Bellai l. x.*

G 4

§. LI.



**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1521.**

**S. LI.**

*Miser Gallorum status in  
Italia.*

*Gnic. l. 14.*  
*Mem. du*  
*Bellai l. 1.*

**M**inus prospera Gallis aspirabat Fortuna in Italia; quippe ibidem tam male Regis æraria administrabantur, ut militibus stipendia vix unquam solverentur, unde soluta militari disciplina, Mediolanenses pristinum, quo aliquamdiu in Gallos ferebantur, affectum exuentes, implacabili prorsus odio eos infectabantur. Jam tunc adversus civibus inerat animus, cum Lautrecus in Gallias abiisset, unicam Orvali Filiam ex asse hæredem sibi desponsaturus, Telinius tamen Rutenensis Senescallus, qui Trimollio absente Mediolani Gubernator erat, morum lenitate, ac humanitate sua incolarum animos rursus Gallis conciliabat: verum brevi officio suo movebatur, sollicitante Castri Brientii Comitissa, quæ turpibus Regis amplexibus assueta Lescunum Lautreci fratrem, qui alias Fuxius Marescallus dicebatur, in Telinii locum mitti procurabat. Ast novus ille Gubernator a Telinii modestia admodum alienus brevi omnium vilipensionem incurrebat, nam ob ingentem suam arrogantiam a Nobilibus passim contemptui habebatur,  
huic

huic accessit immodicus ejusdem luxus, cui, ut liberalius majorique cum splendore indulgere posset, ob levia etiam crimina opulentarum quarundam familiarum bona fisco addixit; quapropter singulis ferme diebus quidam in vincula conjici, alii exilio mulctari, alii ob minimas quasque suspiciones bonis suis proscribi cernebantur. Hos inter Hieronymus quoque Moronus Mediolanensis Cancellarius, cum Gallis suspectus esset, ex urbe pulsus, in urbem Tridentinam Cæsaris dominio obnoxiam ad Franciscum Sfortiam sese recipere cogebatur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1521.

§. LII.

*Moronus Cancellarius Mediolanensium  
exulum Dux.*

Moronus, ut armorum potentia sibi reditum in patriam suam pararet, sollicitante summo Pontifice, & Carolo Cæsare Mediolanensium exulum, quorum ingens erat numerus, caput sese constituit. Nec oblatum sibi munus respuit Moronus, Leoni X. exponens, quod Gallos ex Italia pellendi medium magis expeditum haud suppeteret, quam si illi uno eodemque tempore in Mediolanensi, simulque in Genuensi ditone infestis armis obruerentur. Placuit

*Guicci. lib. 14.*

**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1521.**

Pontifici consilium, jussitque Guicciardinum Mutinæ ac Reggii Governatorem, ut Morono decem aureorum millia numeraret. His pecuniis auctus, tria armatorum millia conduxit Cancellarius, eo consilio, ut Cremonam ex insidiis caperet: Cum vero ad exequendam hanc expeditionem exules Busfeti in Parmensi Ducatu ac in ditione Christophori Pallavicini convenirent, Lescunus rem edoctus, Cardinum ad Pallavicinum Cremonam ablegabat, eisdem significans, ipsum perduellionis reum declarari, ni protinus exules ditione sua expelleret. Ast Pallavicinus Cardinum, ut ab eo captus abstraheretur, missum ratus, eundem occidi jussit: nihilominus tamen exules Busfeto pulsî, Reggium secesserunt, ubi Guicciardinus tutum illis asylum præbuit. Re comperta Lescunus confestim in eum cum quadringentis Lanceariis movit, sequente illum Alexandro Trivulzio, qui Guelforum caput erat. Guicciardinus horum adventum præveniens, urbi sese inclusit, quam Lescunus quidem nulla mora adorsus est, spe concepta, se hoc pacto exules potestati suæ subjecturum. Verum spe sua frustratus die vigesima quarta Junii cum Guicciardino colloquendi copiam sibi concedi postulavit. Lubens annuit ille, atque

atque utrinque pro more securitati cautum est.

Sæcul. XVI  
A. C. 1521.

§. LIII.

*Reggiense colloquium inter Guicciardinum, & Lescunum.*

Igitur Lescunus comitante eum Trivulcio ad ostium propugnaculi, quod Parmensi portæ jungebatur, processit, conquestus, quod summus Pontifex Mediolanensibus proscriptis in Reggienti urbe asylum concessisset, cum hoc pacto foederum fides violata fuisset: Vicissim vero Guicciardinus Lescuno exprobrabat, quod spreta eorundem foederum religione Galli Ecclesiæ ditiones infestis armis invaderent. Ferventibus mutuis hisce objurgationibus, de repente ingens auditur tumultus, eam ob causam suscitatus, quod Bonnevalius, qui aliam urbis portam cum copiis suis obsederat, vi in urbem irrumperere tentaret, ea usus occasione, qua porta pro invehendo curru farina onusto aperiebatur. Civés hanc Gallorum audaciam indignati ingentem globorum tempestatem in Bonnevalii milites exonerabant, ac favente hoc tumultu illi quoque, qui haud procul a colloquii loco urbis mœnia custodiebant, in Lescuni socios ferreas fistulas explodebant, ipsumque Trivulcium

Guicc. l. 14.

Sæcul. XVI  
A.C. 1521.

vulcium plumbea glande trajiciebant, quo ex vulnere altero die periit: ac Lescunum quoque pari fato sustulissent, nisi simul Guicciardinum cum eo colloquentem vulnerare veriti fuissent: Lescunus igitur, ubi Trivultium decimo a se passu humi prostratum cernebat, vitæ suæ consulturus in urbem admitti rogavit, quo concesso Guicciardinus illum paulopost ad sua reverti permisit, ne forte a Gallis crederetur, quod eum captivum detinere voluisset.

§. LIV.

*Papa Gallis adversatus.*

*Guicc. l. 14.*

Vehementer adversus Lescuni insultus conquerebatur summus Pontifex, palam professus, Gallis Ecclesiæ ditio- nes infestantibus, atque aperte datam fidem violantibus, nec se ultra fœderis Religione adstringi. Equidem Lescunus Lamothum Gruinam ad Leonem ablegabat, qui ejus nomine factam irruptionem excusaret; ast Oratore minus benigne habito Papa bellum Gallis nunciandum ratus, triremes suas Neapolitanæ classi junxit, eo consilio, ut Genuam ex improvise aggrederetur, præterea copias suas contraxit, Mediolanum invasurus, ipsumque Lescunum anathemate percussit, suis Cardinalibus

bus exponens, se rem acturum cum Joanne Emanuele Cæsareæ Majestatis suæ Legato, ut adversus Gallos fœdus firmaretur; quamvis jam ante bimestre hæc armorum societas pacta fuisset. Primo equidem Galli Papæ minas flocci habebant; Pontificiam enim & Neapolitanam classem expugnandæ Genuæ successus destituit, eoquod Octavianus Fregosius opportuno adhuc tempore conjurationem a Morono Cancellario conflata detexisset, tantaque solertia portum muniisset, ut hostis exscensionem facere minime auderet. Præterea Manfredus Pallavicinus, cui Papa & Imperator hanc Provinciam demandavit, Comum urbem irrito conatu capere tentabat; tanta enim vigilantia Grammontii Comes urbis Præfectus hostium solertiam elusit, ut propulsis Pallavicini copiis ipsemet captus fuerit, quo facto eidem literæ eripiebantur, ex quibus Galliarum Rex Papam sibi aperte adversari, probe cognoverat, quam ob rem Lautrecum quantocius Mediolanum reverti jussit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1521.

## §. LV.

*Lautrecus sine pecuniis rursus Mediolanum missus.*

Attamen Lautrecus forte sinistri fati *Belcar. l. 17.*  
sui

Sæcul. XVI. A.C. 1521. fui præscius Franciam relinquere detrectabat; haud enim ipsum latebat, Regis æraria penitus esse exhausta, nec minus perspectam habebat Regis sui foecordiam, ac profusam luxuriam, quocirca iter aggredi constanter recusabat, nisi trecenta aureorum millia suppeditarentur, sine quibus Mediolani Ducatum conservari posse, palam negabat. Nihilominus Sororis suæ precibus, Regis jussu, ac jurata etiam hanc summam submittendi pollicitatione delusus, abire constituit. Ergo veredariis equis vectus e Francia profiscitur. Vix Mediolanum veniens nec vanum fuisse timorem suum confestim agnovit; quippe nec pecuniæ advenerant, nec Rex promissi sui memor erat. Ipsa quoque Regina pecunias Lautreco mittendas in alios usus converterat, cum hic illius odium incurrisset, eo quod de turpi amore, quo Regina implicita credebatur, liberius, quam cautius loqueretur. Potissimum vero crescebat Lautreci anxietas, ubi eo vix Mediolanum delato, die vigesima nona Junii in die festo SS. Apostolorum Petri & Pauli fulmen in arcis turrim, in qua pulvis pyrius servabatur, ceciderat, ac non modo turrim ignis violentia uno impetu in sublime rapuerat, sed etiam reliquam ædificii molem adeo concusserat, ut plures per noctes

noctes vigiliis agere oportuerit, donec aucta præsidia, ac murorum ruinæ reparatæ essent; pertimescebant enim Galli, ne forte hostis clam urbem invaderet, eoquod Principes, qui Cæsari favebant, ac magno in numero erant, unice eo curas intenderent, ut favente hoc terrore, quo omnes ex hoc casu percellerentur, arcem expugnarent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

## §. LVI.

*Lautrecus cunctis Nobilibus invisus.*

Equidem Lautrecus huic malo remedium ponere sollicitus erat; verum alia ex parte intempestivam exercebat severitatem, qua omnium Mediolanensium Nobilium invidiam in se concitabat. Jam supra memoravimus, Mainfredum Pallavicinum a Grammontio Comite captum, validoque præsidio stipatum ad Mediolanensem urbem fuisse abstractum. Istius ergo supplicio ceteros esse terrendos existimabat Lautrecus, unde adversus eum iudicii acta instrui, Senatores jubebat. Id vero recusabant non pauci, quidam autem illum in Franciam esse mittendum, consulebant, demum exponebant omnes, hac agendi ratione non modo illustrissimas Mediolanensium familias, sed ipsum quoque Pontificem, cui Pallavicinus sanguine junctus esset, vehe-

vehe-



**Sæcul. XVI** vehementer irritari. Nihilominus spre-  
**A.C. 1521.** tis omnibus hisce monitis Lautrecus  
 Pallavicinum capite truncari iussit, quin-  
 imo Historicorum nonnulli referunt, eum  
 equis in diversum concitatis discerptum  
 fuisse, nec his contentus adhuc, quod  
 turpius est, Lautrecus, fordida avaritia  
 seductus, omnia rei bona ærario addi-  
 xit, eaque fratri suo Lescuno Marescal-  
 lo donavit, quo indigno facinore fratris  
 sui reditus viginti ducatorum millibus  
 auxit, sibi vero omnium proborum ho-  
 minum invidiam, ac seditionem accer-  
 sivit.

## §. LVII.

*Fœdus Æthiopiæ Regis cum Lusitano  
 Rege.*

**I**talia interim tot turbis agitata, Da-  
 vid Æthiopiæ Rex Turcarum poten-  
 tiam veritus, ad Emanuelem Lusitaniæ  
 Regem literas dedit, quibus illius præ-  
 sidium adversus hostes suos implorabat.  
 Epistola ejus elogiis in Emanuelem libe-  
 raliter effusis plena erat, speciatim vero  
 grates illi referebat, quod Matthæum,  
 quem anno millesimo quingentesimo de-  
 cimo quarto Legatum in Lusitaniam mi-  
 sisset, adeo honorifice excepisset, hunc  
 vero jam fatis functum significabat. De-  
 mum suum Regi explicabat desiderium,  
 quo suas copias Lusitanis jungere vellet,  
 ut

ut unitis viribus templum Hierosolymitanum Infidelibus eripere possent: verbo, hæc literæ ingens Religionis studium, & Regis hujus affectum in Emanuelem testabantur, quem etiam rogabat, ut eximios Chalcographos, Typographos, aliosque celebres opifices in arte sua peritos eidem submitteret: ex quo con-  
 jicere licet, illum unice intentum fuisse, ut in suo Imperio liberalium artium studia florerent. Hisce tam fervidis Regis precibus Emanuel, quantum valuit, satisfacere conabatur, fœdusque cum illo paciscebatur. Re comperta Leo X. felix nuncium Cardinalibus manifesta-  
 vit, ac Mense Augusto publicam gratiarum actionem instituit. Hæc tamen Solemnia brevi absoluta minime retardabant initæ societatis negotium, quod Papa magis cordi habebat.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1521.

§. LVIII.

*Parma a Prospero Columna cincta.*

Interea Prosper Columna, quem Papa *Mem. deo*  
 Ecclesiastico exercitui præfecerat, a *Bellai l. I.*  
 versionem, qua Mediolanenses Lautrecum insectabantur, in rem suam verte-  
 re satagebat. Imperabat tunc Columna  
 octodecim ferme armatorum millibus,  
 nequidem computatis mille ducentis Ca-  
 taphractis, ac Mediolanensibus exuli-  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIV.* H bus,

**Sæcul. XVI.** bus, qui haud exiguum agmen conficie-  
**A.C. 1521.** bant. His copiis auctus Parmensem Du-  
 catum ingressus, urbem obsedit, cui Le-  
 scunus præter duo Itatorum millia, quæ  
 sub Principe Friderico Bozzolo præsidia  
 agebant, quadringentos cataphractos  
 imposuit. Jamjam obsidentes tertia ir-  
 ruptione facta urbis propugnaculum flu-  
 mine ab urbe sejunctum occupabant,  
 cum ecce! Prospero Columnæ nuncia-  
 tur, quod Ferrariæ Dux cum centum  
 gravioris, ac ducentis levioris armatu-  
 ræ militibus, ac duobus peditum milli-  
 bus in aciem processisset, jamque Fina-  
 rium, & sancti Felicis castrum expug-  
 nasset, ac demum recta Mutinam con-  
 tenderet; Præterea eidem innotuit, quod  
 Lautrecus cum quingentis Lanceariis,  
 quinque Helvetiorum millibus, ac qua-  
 tuor Gallici peditatus millibus trajecto  
 Pado Parmensi urbi suppetias veniret.  
 Hoc accepto nuncio Prosper obsidionem  
 solvit, fuga sibi consulturus.

## §. LIX.

*Prosper Obsidionem solvere compulsus.*

**Guic. l. 14.** Parmam obsidione liberatam ægerrime  
 ferebat summus Pontifex; bellum  
 enim diuturnum fore præviderat, ac  
 Cæsare pecuniis destituto, totam sum-  
 ptuum molem Sedi Apostolicæ impen-  
 dere

dere pertimescebat; aliunde Hispano-  
 rum fidem sibi suspectam habebat, nec  
 eos sincero animo rem agere suspicaba-  
 tur. Attamen Hispaniæ Legatus de in-  
 tegra suorum fide Papam securum red-  
 debat, eique auctor erat, ut datis ad Se-  
 dunensem Cardinalem literis Helvetii ex  
 suis Pagis duodecim armatorum millia  
 conscriberent. Obluctabantur dudum  
 Helvetii, tandem vero Cardinalis pre-  
 cibus cesserunt, ea tamen lege, ut hæ-  
 copiæ adversus Gallos arma capere non  
 cogerentur; quodam enim articulo fœ-  
 deris cum Francia initi cautum esse di-  
 cebant, ne adversæ parti, si jamjam fœ-  
 deratis copias subministrassent, ullo pa-  
 cto militum suppetias mitterent. Ast  
 hanc conditionem eludere, haud igna-  
 rus erat Cardinalis. Sub idem tempus  
 Papa etiam datis literis Prospero præ-  
 cepit, ut trajecto Pado Mediolanensem  
 Ducatum invaderet: Medicæus quoque  
 Cardinalis relicta quantocius Florentia,  
 Legati Apostolici munere suffultus su-  
 premum fœderati exercitus imperium as-  
 sumpsit, quod Columna & Piscarius li-  
 benter eidem relinquebant, ne forte in-  
 viti illud æmulo suo cedere cogerentur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1521.

Ergo Medicæus exercitum ad Oll-  
 rum flumen ducit, ut Rebeccanam  
 urbem in Venetorum ditione quarto la-

H 2

pide

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1521.** pide a Pontevico disitam expugnaret. Hoc in loco hostis sibi plenam securitatem pollicebatur, eoquod Venetorum Legatus promississet Pontifici, quod eorum Senatus, quamvis Dux cum Francisco Rege foedus pepigisset, Gallorum copiis ad nullam Reipublicæ urbem ingressum concessurus foret: unde quoque concludebat Legatus, Venetos nunquam eo duntaxat sine, ut unius fluvii transitum impedire possent, copias suas discrimini exposituros, ne forte exercitu suo semel profligato sese non minus, quam Mediolanenses alieno imperio subicere compellerentur. Obstupuit tamen vehementer Legatus, postquam ei summo mane nunciasset Columna, quod Lautrecus noctu Pontemvicum tormentis muniisset, ut cum illis Foederatorum castra Rebeccæ posita infestaret.

## §. LX.

*Foederatorum exercitum fundendi occasio a Lautreco neglecta.*

**E**nimvero tormentorum vis foederatorum copias tanta clade afficiebat, ut post unius horæ intervallum tam præcipiti fuga castris excedere cogentur, ut abs dubio, si Lautrecus tormenta sua Pontemvicum mittere distulisset, ac ipse cum suis copiis eo sese contulisset, foede-

fœderati aut Rebeccæ fame periissent, aut a Gallis, Venetisque, qui illos numero longe superabant, penitus deleti fuissent.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.

Helvetii, cum occasionem a Lautreco neglectam probe cognoscerent, ludibrii gratia a Gallis præmium, quod alias parta victoria eorum militibus distribui solet, petebant, eoquod pro parte sua, ut victores essent, nihil reliquum fecissent. Ceterum Papæ ac Cæsaris copiæ Gabioneum in Mantuana ditione situm sese recipiebant; indeque Ustianum procedebant, ubi castra sua vallis fossisque munientes adventum duodecim Helvetiorum millium, quos Cardinalis Sedunensis adducebat, præstolabantur. Hic, ubi has copias suo Imperio commissas videret, veritus, ne Helvetii se contra Gallos ad pugnam duci, brevi animadverterent, illos prævenit, dicens, nequaquam fœderis fidem violari; cum non de Franciæ, sed summi Pontificis, Sedisque Apostolicæ causa ageretur, ac deceret, quod eidem opererent ad recuperandas urbes Parmam & Placentiam, ad quas Francisco Galliarum Regi nullum omnino jus competeret: ut vero hisce rationibus majus robur adderet, inter Helvetios ingentem pecuniarum summam distribuit, indeque potissimam eorum partem ad sua studia

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

dia pertraxit. Non deerant tamen ex Pago Tigurino quatuor Helvetiorum millia, quæ ceterorum partes sequi detrectabant, ex quorum repugnantia haud levia exorta fuere dissidia. Re comperta Magistratus edictum promulgabant, quo omnes Helvetii nemine excepto utrumque exercitum deserere jubebantur, cum non, ut dicebant, congruum esset, quod unius Nationis Viri eodem tempore duorum hostilium exercituum stipendia mererentur, seque mutuo jugularent. At tamen Sedunensis Cardinalis ejusmodi mandata publicari suspicatus, tanta utebatur solertia, ut hoc edictum in manus ejus incideret, quocirca non nisi illud ad Helvetios, qui sub Lautreco Gallis uniti erant, directum expediri curavit, alterum vero ad Helvetios, qui in Fœderatorum exercitu in Italia militabant, inscriptum penes se retinuit.

§. LXI.

*Helvetii a Gallorum exercitu sejuncti.*

*Bellcar. l. 16.*  
*Mém du Bel-*  
*lai l. 2.*

Helvetii accepto suorum mandato Lautreci castra deserebant, ad sua reversuri; cum vero illos, qui Fœderatis juncti erant, persistere intelligerent, eadem illis jussa haud data fuisse existimabant, hac de re vehementer commoti. Nihilominus Sedunensis Cardinalis,  
Vir





Sæcul. XVI  
A. C. 1521.

pitali pœna animadvertendo. Impru-  
dens hæc agendi ratio civium Primores  
tam vehementer offendit, ut rusticum  
quemdam ad Moronum Cancellarium  
mitterent, eique suaderent, quatenus  
Fœderatorum copias admoveret, eo-  
quod urbem ei tradere decrevissent. Ru-  
sticus vix Mediolanum egressus erat,  
dum jam interceptus ad Prosperum Co-  
lumnâ ducebatur, qui notitiam Moro-  
no datam minime spernendam ratus, Pi-  
scario negotium dedit, ut cum primo ag-  
mine, cui imperabat, aggeri sancti Vin-  
centii appropinquaret, Mediolanensium  
animos exploraturus. Venetî, qui ibi-  
dem excubias agebant, vix comperto  
hostis adventu, mox fuga dilabuntur,  
quos Piscarius quantocius insequens,  
cum copiis suis primo vicinam portæ  
munitionem, demum etiam urbem in-  
gressus est, capto Theodoro Trivultio,  
qui morbo licet pressus, absque armis  
mulo vectus ad hosce rumores accurre-  
bat. Capti quoque fuerunt Julius San-  
severinas, & Viglebani Marchio; nilque  
propius erat, quam ut idem fatum Grit-  
tus quoque Reipublicæ Provisor subiret.

§. LXIII.

*Fœderati capto Mediolano urbem  
ingressi.*

Piscarii militibus urbem ingressis paulo  
post

post Prosper etiam Columna seque-  
batur, comitantibus eum Medicæo Car-  
dinale, & Mantuano Marchione, qui  
omnes cum potissima exercitus sui par-  
te per portam Pictaviensem Mediolanum  
ingrediebantur: Lautrecus vero illa die  
ab hostium incurfu adeo securum sese cre-  
debat, ut ante arcem ambulatum iret,  
dum interea Lescunus ejus frater in le-  
cto sterteret, præcedentis diei laboribus  
fractus. Paulo post nonnulli, qui e ca-  
stris effugerant, Lautreco nunciabant,  
quod hostes Gibellinæ factionis opera  
urbem per portam Papiensem intrassent.  
Accepto hoc nuncio Lautrecus, post-  
quam Mediolanensi arci præsidium im-  
posuerat, illiusque curam nobili cuidam  
Vasconi, Mascarono nomine demanda-  
verat, conscenso protinus equo Comum  
auffugere compellebatur, sequentibus  
eum quingentis Cataphractis, nonnul-  
lis peditibus, & tribus aut quatuor mil-  
libus Helvetiorum, qui signa deserere  
renuebant. Fugitivum Lautrecum, dum  
interea arx cingebatur, Piscarius inse-  
cutus est, qui primo quidem nonnisi e-  
jus iter explorare cogitabat, ubi vero  
intellexit, Lautreco nil reliquum fuisse,  
quam ut Comensi urbi quinquaginta mi-  
lites ductore Vandenesio Chabani Maf-  
scalli fratre inferret, urbem obsidere con-  
stituit, quam etiam tanta tormentorum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

Sæcul. XVI. vi verberabat, ut illius Gubernator de-  
A.C. 1521. ditionem facere cogeretur, cujus tamen  
 pacta fuere violata, eoquod præfidiarii  
 milites urbe excedentes ab Hispanis va-  
 sis omnibus exuti fuissent: quæ res Van-  
 denesium adeo commovit, ut Piscarium  
 ad singulare certamen provocare non  
 dubitaret, ejus tamen minæ effectū ca-  
 ruere.

## §. LXIV.

*Plures aliæ urbes nemine obfistente a  
 Fœderatis occupatæ.*

**L**autrecus perceptis Comensium de-  
 fectione, nulla mora eo contendit,  
 rebelles cives ad obsequium revocavit,  
 ab eisque centies mille libras mulctæ  
 nomine extorsit. Verum ejusmodi ex-  
 actio ad reparandas res suas minime suf-  
 ficiens erat; quippe, dum hoc iter ag-  
 grediebatur, interim plures easque no-  
 bilissimas Mediolanensis Ducatus civita-  
 tes amisit, nimirum, Papiam, Laudum,  
 Parmam, & Placentiam, quarum ur-  
 bium cives sese Fœderatis adjunxerant.  
 Veneti tam repentina hac rebellionē per-  
 territi, ut sese imminenti periculo sub-  
 ducerent, in summi Pontificis gratiam  
 redire festinabant, eidemque per suum  
 Legatum offerebant, se fœderi cum Gal-  
 lis inito nuncium missuros.

## §. LXV.

§. LXV.

*Leonis X. Papæ obitus.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1521.

Verum Venetorum propositiones exci- Paul. Jov.  
 pere, Leoni Pontifici haud amplius in vita Leon.  
 integrum erat; quippe, si Scriptorum X.  
 nonnullis fides habenda, ob partas Fœ- Onuphr. &  
 deratorum victorias tam immodica affi- Victor. in  
 ciebatur lætitia, ut feбри corripere- vita Leon.  
 tur. Ut res se habeat, id certum est, quod Ciaccon. ibid.  
 tam repentina feбри obrutus fuerit, ut p. 313.  
 hoc anno millesimo quingentesimo vige- Spond. ann.  
 simo primo die prima Decembris e vivis 1521. n. 9.  
 excefferit, nonnisi quadraginta quatuor Kaynald. ib.  
 annos natus, postquam octo annis, to-  
 tidemque mensibus, ac viginti diebus  
 Ecclesiam rexisset. Fuere, qui existima-  
 rent, eum propinato veneno fuisse sub-  
 latum. Cadaver ejus in Vaticana Eccle-  
 sia lateritio tumulo sepultum est. Con-  
*stat*, inquit Paulus Jovius, *Leonem a pri-* Jean. de  
*ma adolescentia usque ad Pontificatum om-* Crespiu etat  
*nium opinione summam continentia laudem* de l' Eglise  
*fuisse adeptum*, addit tamen idem Scri- ann. 1521.  
 ptor, quod Pontifex factus *jucunditate* p 5. 6.  
*blandæ facilisque naturæ potius, ac Regia* Hist. de M.  
*quadam licentia, quam certo depravati ani-* de Thou l. 1.  
*mi judicio in quædam vitia prolabi videre-*  
*tur*, cum cubiculi sui fores ejusmodi ob-  
 siderent homines, qui adeo non mode-  
 stæ reprehensionis officium in se susce-  
 perant,

**Sæcul. XVI.** perant, ut illum etiam ad varia oblecta-  
**A.C. 1521**                     menta incitarent. Ceterum Magistris  
 utebatur omnino præclaris, a quibus  
 humanioribus literis optime instructus,  
 non modo erga eos semper beneficus ex-  
 titit, sed omnes, qui scientia ac erudi-  
 tionis laude claruerunt, potenter ad-  
 modum protexit, præcipue vero Poetas  
 magni habebat, & quandoque ab ea re-  
 cedebat gravitate, quam dignitatis suæ  
 Majestas exigere videbatur. Nam pluris  
 habebat, qui fabulas concinnare nove-  
 rant, aut veterum Poetarum, necnon  
 profanæ eruditionis fama inclaruerunt,  
 quam qui Theologicis disciplinis aut Ec-  
 clesiæ Historiis imbuti erant. Præter  
 hoc luxui ac profusæ liberalitati deditus  
 esse dicebatur.

## §. LXVI.

*Fœderatorum exercitus mortuo Papa  
dissipatus.*

**Guic. l. 14.** Quamprimum fama de Pontificis obi-  
 tu percrebuit, mox copiæ, quas  
 alebat, dispergebantur; Helvetii enim,  
 quos Sedunensis Cardinalis contra Ma-  
 gistratum jussa detinuerat, exceptis cir-  
 citer quadringentis in Patriam reverte-  
 bantur; præter hos discedebant quoque  
 Florentinæ Reipublicæ agmina; equi-  
 tes vero in Placentina & Parmensi ditio-  
 ne

Secul. XVI.  
A. C. 1521.

ne hyberna agebant, ac denique confilia, quæ Columna adversus Cremonenses, & Piscarius contra Genuenses agitabant, occasione magis propitiæ reservabantur. Turbato hoc rerum statu Lautrecus, copiis licet ferme destitutus, fors opportune uti potuisset, nisi Moronus Cancellarius auctoritate, qua valebat, populum induxisset, ut ad ferendos belli sumptus largiter conferret, cui accessit etiam cujusdam Prædicatoris eloquentia: erat is Andreas Ferrariensis ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, qui Mediolanensibus odium adversus Gallos inspirabat; nam hic tanto verborum pondere nuperæ seditionis circumstantias exponebat, ut Galli ab omnibus tanquam Dei hostes haberentur. Detorquebat etiam in eos illa sacri Codicis verba, quibus reprobi perstringuntur; nec minus Lautreci vitia ac crudelitatem mentis cæcitati, qua Saul percutiebatur, æquiparabat, ac fulmen illud, quod de cælo in Mediolanensem arcem ceciderat, velut prodromum interpretabatur illius sacri fulminis, quo Galli arcem tuentes percelli mererentur; denique Auditores suos ad opem ferendam pro Gallis trans alpes propulsandis tanta in dicendo efficacia permovebat, ut illi, quibus nonnisi duo aurei suppetebant, unum ad hoc opus impenderent,

*Mem. de  
Bellai l. 2.*

**Sæcul. XVI.** rent, illi vero, qui armis gerendis pa-  
**A.C. 1521.** res erant, sine stipendiis militare pro-  
 mitterent.

## §. LXVII.

*Emanuelis Lusitanicæ Regis obitus.*

*Spond. ad*  
*ann. 1521.*  
*n. 13.*

*Jø. Barros*  
*dec. 3. l. 7. c. 7.*

Paucis post obitum Leonis X. diebus, nimirum decima tertia ejusdem mensis Decembris Emanuel Lusitanicæ Rex Ulyssipone animam Deo reddidit, cum vixisset annos quinquaginta duos, & regnasset viginti sex, sepultusque est in Bethleemitico asceterio, ubi Regum suorum Successorum, totiusque Regiæ Domus sepulturam fieri voluit. Is viros literatos impense coluit, & commentarios de rebus Indicis scripsisse dicitur, de quibus extat ejus epistola in collectione rerum Hispanicarum. Lusitani Regiminis sui tempus passim ætatem auream appellant, atque a suis subditis Princeps felicissimus nuncupatur, ob Regni sui prosperitatem, secundos belli pacisque successus, necnon ob gloriosos conatus, quibus in ferocissimis etiam Infidelium Regionibus Religionem Catholicam propagabat. Tres successive habebat conjuges, ex quibus numerosam prolem reliquit: Isabella tamen de Castella Alphonfi Lusitani Principis vidua, quæ prima ejus uxor erat, non-  
 nisi

nisi unicum ei genuit filium, Michae-  
lem nomine, qui Matri suæ duntaxat  
vigessimum secundum Mensẽm vita su-  
perstes fuit. Ex altera conjuge Maria  
Isabellæ Sorore suscepit Joannem III.;  
Isabellam, quæ Carolo VII. nupsit; Lu-  
dovicum Cratensem Priorem, & Ferdi-  
nandum &c. Tertia denique conjux,  
quæ fuit Eleonora Austriaca Caroli V.  
Cæsaris Soror natu major, ei genuit Ca-  
rolum, & Mariam, quorum prior ad-  
huc puer e vivis excessit, Maria vero  
primo promissa fuit Francisco I. tunc  
Franciæ Delphino, postea Maximiliano  
Romanorum Regi, dein Imperatori, de-  
nique Philippo II. Hispaniarum Regi:  
nullum tamen ex his connubiis effectum  
habuit, adeo, ut Maria adhuc cælebs  
Anno Christi millesimo quingentesimo  
septuagesimo octavo decederet.

## §. LXVIII.

*Joannes III. Emanuelis Filius Regni  
Successor.*

Emanueli defuncto Joannes III. quem  
ex secundis nuptiis susceperat, in  
Regno successit, tum annum ætatis a-  
gens undevicesimum; natus enim erat  
die sexta Junii Anno Salutis millesimo  
quingentesimo secundo.

## §. LXIX.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.

§. LXIX.

*Guilielmi de Croy Cardinalis  
obitus.*

*Ciacon. in  
Leon. X.  
And. Sando-  
val in elog.  
Card.  
Gazet Hist.  
Eccl. des  
Pays-bas.  
Aubery hist.  
Cardin.*

Hoc item anno sacrum Purpuratorum Collegium quatuor Cardinalium jacturam planxit; hos inter primus erat Guilielmus de Croy (Jacobum alii nominant) Henrici de Croy Portiani Comitum, & Carolinæ Castrobriancie Filii, necnon Philippi Arschoti Ducis Frater. Educabatur is Lovanii, ibique celebris Joannis Ludovici Vives natione Hispani magisterio utebatur, ac mortuo Jacobo de Croy Patruo suo, Anno supra millesimum quingentesimo decimo sexto nonnisi duodeviginti annos natus ad Cameracensem Episcopatum nominabatur, anno autem sequenti ad preces Caroli V. Hispaniarum Regis, ac demum Cæsaris, a Leone X. summo Pontifice non modo purpura decoratus, sed etiam ad Toletanum Archiepiscopatum, & annexam Hispani Primatus dignitatem, necnon ad Cancellarii Castellani munus evectus est. Cunctis tamen hisce honoribus juvenis iste Cardinalis exiguo admodum tempore potiebatur; cum enim Wormatiæ Comitia agerentur, die sexta Januarii venatum profectus, ac equo delapsus venam dirupit,

rupit, & paulopost vigesimo tertio æta- Sæcul. XVI.  
 tis suæ anno vita decessit, nec visa Hi- A.C. 1521.  
 spania, nec lustrato Archiepiscopatu  
 Toletano. Conditus est post obitum in  
 Cænobio Cœlestinorum Heverle dicto  
 prope Lovanium ex Patris sui sumpti-  
 bus ædificato, ubi hodie ejus inscriptio  
 sepulchralis legitur.

§. LXX.

*Francisci de Comitibus Cardina-  
 lis mors.*

**A**lter ex Cardinalibus, qui hoc anno Ciacon. l. cit.  
 obiit, erat Franciscus Conti, ex Aubery hist.  
 vetustissima Principum de Comitibus fa- Card.  
 milia ortus, quam duo Pontifices, In- Panvin. de  
 nocentius III. & Gregorius IX. plures Rom Pontif.  
 que Cardinales illustrarunt. Parentes Vittorel in  
 habuit Jacobum de Comitibus, & Eli- addit. Ciac.  
 sabetham Carafam. Is fuit (ut testatur  
 Ciaconius) *egregia indole, industria ac*  
*pietate necnon civilium rerum peritia lauda-*  
*bilis.* Hinc Campsanum Archiepiscopa-  
 tum in Neapolis Regno adeptus est, die  
 vero prima Julii anno Domini millesimo  
 quingentesimo decimo septimo a Leone  
 X. Presbyter Cardinalis titulo S. Vita-  
 lis renunciabatur, cui idem quoque  
 Pontifex sigillum Collegii Cardinalitii  
 custodiendum commisit. E vita migra-  
 vit in Veliterna Diæcesi feria secunda  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. I die*

Sæcul. XVI. die quinta Junii, adeo pauper, ut jux-  
A.C. 1521. ta quorundam Scriptorum testimonium  
 nequidem pro exequiarum sumptibus  
 necessarias relinqueret pecunias. Cor-  
 pus ejus, Leonis jussu Romam delatum  
 conditum est in Ecclesia S. Vitalis.

## §. LXXI.

*Thomæ Bacocii Cardinalis extrema.*

*Ciaron. in.* Tertius erat Cardinalis Thomas Ba-  
*Leon. X. p.* cocius Strigoniensis Archiepisco-  
 102. pus, & in Hungaria Status Minister.  
*Auberii l. c.* Is natione Hungarus in oppido Herdo-  
*Victorel. in* vi Vespriensis Diocesis ex mediocris  
*add. ad Ciac.* fortunæ parentibus natus erat, & solo  
 meritorum suffragio regnantibus Mat-  
 thia Corvino, & Ladislao V. ad supre-  
 mas dignitates evehebatur, ac primo  
 quidem Agriensi Cardinali aliquamdiu  
 a secretis fuit, tanta deinde valuit au-  
 ctoritate, ut non solum Regis Hunga-  
 riæ Cancellarius, sed etiam primo Tau-  
 riensis, dein Seniensis Episcopus, mox  
 Archiepiscopus Strigoniensis electus  
 fuerit. Postea in Cardinalium Senatum  
 Ladislai Regis, & Reipublicæ Venetæ  
 precibus ab Alexandro VI. die vigesima  
 quinta Septembris Anno Christi mille-  
 simo quingentesimo adlectus, mox  
 ab eodem Rege Status Ministerio præ-  
 fectus fuit: Anno autem salutis mille-

mo



**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1521.**

*Onuphr. in  
Sixt. IV. &  
in Chron.*

fimo primo Savonæ ex Violante Riaria, Petri ejusdem nominis Cardinalis Sore progenitus, ejusdemque hæres a Sixto IV. Papa substitutus illius agnomen ex ejusdem Pontificis jussu assumpsit, Anno autem Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo Mense Decembri Cardinalium Collegio adscriptus est, quamvis nonnisi vigesimum septimum ætatis annum ageret. Eundem Sixtus diversis temporibus præfecit Ecclesiis Foro-Corneliensi, Leutiganæ, Oxamensi & Conchensi, nec minus rexit etiam Cosentinum, & Salernitanum Archiepiscopatus, præter Episcopatum Tridentinum. Præfuit etiam Abbatiis Cassini & Cavæ. Subibat olim ingens vitæ periculum; cum enim Papa adversus Laurentium de Medicis justam conquerendi causam se habere credebat, ac Francisco Pazzio, qui in ejus ac Juliani Medicæi exitium juraverat, faciles nimium aures præbebat, jubebatur tum Riarius ejusdem frater, qui Pisis operam studiis navabat, quantocius Florentias accurrere, ut conjuratos præsentia sua animaret, cum vero hæc consilia effectu carerent, Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo a plebe vix non dilacerabatur, demum ob periculi sibi impendentis horrorem  
ita

ita expaluit, ut pallorem in vultu, quo ad vixit, retinuerit.

Sæcul. XVI.  
A C. 1521.

Sub Innocentii VIII. Pontificatu magis prospera utebatur fortuna, mox tamen sub Alexandro VI. adversam experiri cogebatur; cum enim ad hujus Pontificis electionem plurimum contulisset, hoc obsequii genere suis Nepotibus Hieronymi Riarii Patruis sui filiis fortunam constanter propitiam fore existimabat; ast sua eum spes fefellit; quippe Alexander VI. eos Forolivii, ac Foro-Cornelii Principibus exuit, quinimo eorum Matrem Catharinam Principissam carceri mandari jussit. His ærumnis pressus Cardinalis asyllum in Gallis quærere cogebatur: Interfuit tamen electionibus Pii III. Julii II. & Leonis X. summorum Pontificum, sub cujus ultimi regimine inter alios conjurationis, quam Petrucius Cardinalis in ipsum Papam conflaverat, socios deprehensus, ac in arce S. Angeli custodiæ datus fuit, ab eodem vero Pontifice, cum crimen suum fateretur, raro magnanimitatis exemplo veniam impetravit, postea vero Neapolim secessit, ubi etiam die septima Julii hoc anno mortalitatem exuit. Cadaver autem ejus Romam translatum in æde SS. Apostolorum sepulchrum obtinuit.

*Machia. hist. Florent. l. 8. Garimb. l. 4. Ughel in Ita. sacra. Uber-tus Foglieta in elog.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

§. LXXIII.

*Joannis Reichlini obitus.*

*Paul. Jov. in  
elog. c. 143.  
Dupin. Bibl.  
Script. t. 14.  
Sæc. XVI.  
p. 3.  
Melchior  
Adam de vit.  
Philosoph.  
Germ.*

**E**odem hoc anno Joannes Reuchlinus, de quo jam alibi mentionem fecimus, die tertia Julii Stutgardiaë rebus humanis valedixit, annos natus sexaginta septem. Is altercationum, quas cum Dominicanis habebat, pertæsus, primo Ingolstadium sese recepit, ubi procurantibus ejus amicis ducentorum aureorum pensionem obtinuit, ea lege, ut Græcam ac Hebraicam linguam publice doceret. Ipsimet Fratres Prædicatores virum a se tamdiu injuste vexatum dolentes, concordiam cum eo inire, ac litis expensas solvere statuebant, quocirca eidem offerebant, se a Romana Curia literas impetraturos, quibus a Censuris absolveretur, quas tamen licet in eum vibratas haud promeritus fuisset, proin nec liberatione indignisset. Ast priusquam Dominicani promissum exequi poterant, peste urbem Ingolstadiensem depopulante Reuchlinus Tubingam se contulit, ubi Græcum idioma tradere rogabatur: exiguo tamen tempore illius scholares suo Magistro potiebantur; quippe assiduis studiis exhaustus, ac litium, quæ identidem in eum movebantur, fastidio consumptus, icterico morbo correptus

reptus est. Quamprimum nullum malo <sup>saecul. XVI.</sup>  
 remedium suppetere senserat, Stutgar- <sup>A.C. 1521.</sup>  
 diam transferri petiit, ubi etiam e vivis  
 excessit, ut mox memoravimus. Is quam-  
 vis toto vitæ suæ tempore variis adver-  
 sæ fortunæ procellis jactaretur, nihilo-  
 minus plurimos libros elucubravit; nam  
 ex Græco in Latinum transtulit Eusebii  
 libros de vita Constantini Magni, nec-  
 non varias quæstiones, quæ Divo Atha-  
 nasio adscribuntur. Composuit etiam o-  
 pus *de verbo mirifico*, quod exhibet par-  
 titum in tres libros Dialogum inter Phi-  
 losophum, quem Sidonium appellat, &  
 inter Christianum nomine Capnionem.  
 Horum primus exponit, quicquid sele-  
 ctius, ac illustrius Paganorum Philosophia  
 subministrat, alter vero mysteria in he-  
 braicis nominibus & præcipue in Dei no-  
 mine recondita detegit; tertius denique  
 inducitur, ut utriusque principia ado-  
 ptans Christianam Religionem compro-  
 bet: Præterea alium concinnavit librum  
 de arte Cabalistica, itidem in tres par-  
 tes divisum, ubi discursus habetur in-  
 ter Judæum, Mahometanum, & Phi-  
 losophum Pythagoricum. Ferunt illum,  
 ut adversarios suos ludibrio exponeret,  
 vulgasse epistolas, quas inscripsit, *lite-  
 ras obscurorum Virorum*: in his Scola-  
 sticorum stylum ideo studiose imitatus est,  
 ut hosce Theologos ab aliis deridendos



Sæcul. XVI.  
A. C. 1521.

proponeret: incertum tamen est, utrum hæ literæ a Reuchlini calamo proflu-  
xerint, quas nonnulli Henrico Hutte-  
nio adscribunt, ceterum hoc opus nu-  
gis jocisque plenissimum est, unde tan-  
topere Monachorum indignationem pro-  
vocavit, ut illud ad librorum prohibi-  
torum Indicem rejici procurarent: E-  
rasmus etiam hunc scribendi modum  
reprobavit: id verò, si Reuchlini est,  
postremum, quod composuit, opus fuis-  
se, dici potest. Reuchlini Adversarii il-  
lum Lutheri causæ implicare conaban-  
tur, ipse verò in cunctis hisce, quæ Ec-  
clesiam turbabant, altercationibus nul-  
lam partem habere voluit.

*Steidan in  
Comm. l. 3.  
p. 86.*

Id extra omnem controversiam posi-  
tum est, quod Reuchlinus sui ævi do-  
ctissimis merito accensendus sit: firma  
tamen caret ratione, quod inter Chri-  
stianos primus fuerit, qui sese Hæbrai-  
corum librorum studiis impenderit; jam  
enim Sæculo decimo tertio Raymundus  
Martinus ex ordine S. Dominici vir do-  
ctrina insignis Talmudum, aliosque e-  
jusmodi generis libros singulari studio  
pervolvit, librosque hæbraico sermone  
conscriptos edidit. Scripsit quoque  
Reuchlinus plurimos libros de eloquen-  
tia, nec eo tempore præter ipsum Ger-  
mania alium habebat, quem Italiæ Do-  
ctori-

toribus opponere potuisset, quibus in sermone elegantia nullo pacto cedebat, longeque in doctrinæ eminentia eos superabat. Variis temporibus ejusdem libri Tubingæ, Francofordiæ & alibi typis vulgati prodierunt.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

§. LXXIV.

*Solimanus Turcarum Imperator.*

Interea non pauci Principes faventibus publicis scissionibus Imperii sui fines extendere nitebantur, quod consilium, ut ipsemet quoque Solimanus Turcarum Imperator Selimi filius prospere exequeretur, non parum adjuvit bellum Carolum inter & Franciscum jamjam inchoatum: cum enim novus hic Imperator Seditio- nem in Syria conflam sedasset, & Gazzellæ Gubernatorem rebellium caput neci dedisset, ipse non modo Imperii, sed & grandium, quæ ejus Pater fabricaverat, consiliorum hæres cum potentissimo exercitu Hungariam invasit.

§. LXXV.

*Belgradum a Solimano expugnatum.*

Igitur cum prosper armorum successus Solimani fortitudinem atque audaciam acueret, hoc anno in Mense Septembri Albam Græcam, seu Belgradum cin-

Ishuanf. l. 7.  
Leuncl. l. 8.  
Dubrav.  
l. 33.

IS

xit,

Sæculi XVI. xit, ac sexta obsidionis hebdomada expugnavit. Hujus propugnaculi jacturam vehementer dolebat Carolus Imperator, veritus, ne pari fato tota Hungaria Turcarum armis succumberet.

A.C. 1521.

*Steid. comm.*

*l. 3. p. 79.*

*Raynal. hoc*

*ann. n. 122.*

§. LXXVI.

*S. Reliquiæ Constantinopolim translatae, ac rursus Belgradum missæ.*

Parta urbe Solimanus inde Constantinopolim detulit quasdam sacras Reliquias, nimirum Corpora SS. Thetæ, & Venerandæ, Brachium S. Barbaræ, necnon imaginem B. Virginis miraculis claram; has Christiani pecuniis redimebant; cum enim Solimanus Christianos, ut eas recuperarent, summo flagrare desiderio cerneret, Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum accersivit, eique injunxit, ut ipsi pro illis duodecim solidorum millia numeraret; si vero hoc pacto Reliquias redimere renuerent Christiani, minitabatur Solimanus, projecturum se illas omnes in mare. Equidem immodica erat hæc summa, cum tamen thesaurus hic facer profanari timeretur, quem Patriarcha ceterique Christiani verum, proin pretiosissimum existimabant, ideo a fidelibus ægre licet, utpote pauperrimis ea summa colligebatur. Idem Jeremias, qui

qui hasce Reliquias a Solimano vindicaverat, suffectus est Theolepto, qui cum ob perverfos mores scandalum in Ecclesia crearet, in quodam Episcoporum conventu, qui de Solimani consensu habebatur, Patriarchali dignitate exutus est.

Sacul. XVI.  
A.C. 1521.

§. LXXVII.

*Propositiones de Sepulturis ad Parisiensem Facultatem Theologicam delatae.*

Eodem hoc anno die decima nona Junii Parisiensis Facultas Theologica sex sequentes Propositiones proscripsit: *Argent. Col. lect. judic. de nov. error. t. I. p. 401.*

*I. Est magnum periculum aliquid accipere pro Sepulturis, quia pro Sepulturis nihil debetur. II. Omnes pro Sepulturis aliquid accipientes aut recipientes sunt simoniaci, sacrilegi, & latrones. III. Magnus est error in Ecclesia Dei pro Sepulturis aliquid accipere. IV. Consuetudo non potest excusare aliquid recipientes, quin sibi damnationem aquirant. V. Omnes pro sepulturis aliquid accipientes sunt damnati. VI. Si esset lis contestata in aliqua Curia Parlamenti, essent declarati Simoniaci, & ad restitutionem condemnarentur.*

§. LXXVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

§. LXXVIII.

*Censura harum Propositionum.*

**H**æ sex Propositiones hoc anno in numero jejunio verno in Sagiensi Ecclesia Cathedrali ad populum dictæ fuerant, eas vero Episcopus per Magistrum Joannem Gillain Theologicæ Facultati denunciavit. Hæc igitur illas censuris suis perstrinxit hunc in modum : *Primæ quatuor Propositiones ita indistincte posite sunt scandalosæ, seditiosæ, & nullo modo prædicandæ, & si prædicatæ sint, revocandæ, accipiendo eas in sensu, in quo communiter accipiuntur post sepulturam exhibitam, & secundum laudabilem consuetudinem.* Postmodum de postremis duabus propositionibus sequens tulit judicium. *Istæ duæ propositiones sunt temerariæ, & nullatenus prædicandæ, addit quoque, quod sint exhortandi Prælati, ne graves exactiones contra jura & laudabiles consuetudines in suis Diocesisibus permittant, quibus non intendit Facultas favere.*

§. LXXIX.

*Alia Censura Propositionum ab Hieronymo Clichtoveo enunciatarum.*

*Argent. loc. c. p. 402.* **E**adem Facultas die quinta Decembris sequentes Hieronymi Clichtovei propositiones

positiones censuræ subjecit. *I. Non est illicitum lege divina aut naturali vendere beneficia. II. Neque est prohibitum lege eadem pensiones redimere. III. Non est illicitum bursas vendere. IV Non est vetitum in die festo aut loco sacro negotiari.* Has propositiones Clichtoveus in secunda principali Conclusionem disputationis suæ, quam magnam ordinariam vocant, sub Magistro Joanne Bartholomæi Ordinis Cisterciensis propugnavit: cum vero illæ plurimis offensionem essent, Natalis Beda Syndicus coram conventu die quarta Novembris habito hac super re questus, scandalum condigne reparari postulavit, quapropter Præses, ac Licentiatus in jus vocantur, eisque præcipit Facultas, ut sensum, in quo hæc propositiones accepissent, exponerent, quibus auditis, Facultas quatuor istas propositiones damnavit addens hanc declarationem: *Prima est erronea, & quæ simoniacam labem divino jure prohibitam in Ecclesiam illicite induceret. Secunda est falsa, scandalosa, & viam perniciosè aperiens, qua venduntur beneficia, loquendo de pecuniaria Ecclesiasticarum pensionum redemptione. Tertia est scandalosa, & turpe lucrum impie fovens. Quarta sic indefinite posita est falsa, scandalosa, & impia.* Pronunciato hoc judicio Clichtoveus propositiones prioribus contrarie oppo-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.

Sæcul. XVI oppositas propugnare jubebatur, cui  
A. C. 1521. sententiæ tam ipse, quam ejusdem Præ-  
 ses morem gesserunt.

## §. LXXX.

*Alia Censura de tribus Magdalenis.*

*Idem initio  
 tom. 2.*

Aliam insuper censuram reperio, quæ ab eadem Facultate die Sabbati nona Mensis Novembris in majori Aula Collegii Sorbonæ pronunciata, & die prima Decembris in Congregatione apud S. Mathurinum confirmata fuit. Ibi decisum est, nonnisi unicam dari S. Magdalenam. Cum primus omnium S. Gregorius Papa disertis verbis doceret, quod *Peccatrix illa, de qua S. Lucas scribit, eadem omnino persona exstiterit, ac Maria Lazari soror, & Maria Magdalena*; ideo hanc sententiam universalis Latinorum Ecclesia ob summam reverentiam, quam tam sancti ac præclari Doctoris testimonio debet, omnino amplectendam censuit: Cum vero eadem opinio in sæculo decimo sexto ad examen vocaretur, Jacobus Faber Stapulensis, & Jodocus Clitoveus Anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono tractatum *de tribus, & unica Magdalena* typis ediderunt, quorum lucubrationem Joannes Fischerus Roffensis Episcopus, & Marcus Grandvalius con-  
 futa-

futarunt : hinc utrinque acris fervebat  
disputatio, his replicantibus, illis con-  
trario mox responso occurrentibus.

Sæc. XVI.

A. C. 1521.

Tandem omnino prævaluit Doctoris An-  
gli sententia, qui nonnisi unicam Mag-  
dalenam existisse tuebatur. Hæc di-  
sputatio occasionem Theologicæ Pari-  
sienfi Facultati dedit, ut conventu ha-  
bito declararet, sibi probari sententiam  
Fischeri docentis, quod Maria Magda-  
lena, Maria Lazari soror, & illa in Ev-  
angelio peccatrix non nisi unica mulier  
existit.

In hac decisione Facultas tam gra-  
vibus utebatur verbis, perinde ac si a-  
geretur de opinione, cujus decisio Ec-  
clesiæ summe necessaria foret. *Cum*  
*itaque, inquit Facultas, occasione quorum-*  
*dam opusculorum in lucem editorum, quæ*  
*plures esse Magdalenas differuerunt, multa*  
*& gravia oborta fuisse noscantur in populo*  
*scandala, & consimiliter reliqua etiam insti-*  
*tuta, quæ Ecclesiastica sanctione longa jam*  
*antiquitate recepta in dubium trahi possent,*  
*ita ne se habeant, sicut tradit Ecclesia, an*  
*secus? quod animarum saluti vel maxime*  
*obesset. Nempe, nihil certum aut indubita-*  
*tum in tota Ecclesia demum relinqueretur, si*  
*cuique pro suo arbitrio impune liceret hu-*  
*jusmodi traditiones Sanctorum Patrum per*  
*Ecclesiam receptas, rejicere aut calumniari.*  
Positis hisce principiis, quæ quidem in  
se



Sæcul. XVI, se ipsis verissima sunt, perperam tamen applicata, Facultas declarat, *sententiam S. Gregorii Magni amplectendam esse, & sequendam; licet enim in sacris Evangeliorum textibus ejusdem beatæ Peccatricis pro diversitate statuum ejus varia legantur officia, unica tamen sit Maria Magdalena, quæ Marthæ soror existit & peccatrix illa, cujus Evangelium meminit; hanc ergo sententiam esse tenendam, ut Evangelio Christi, & sanctis Doctoribus conformem, & Ecclesiæ Catholicæ ritui consonam: scripta vero adversus hanc sententiam nullatenus esse toleranda. Nos vero, inquit Facultas, censemus inhibendum iis, qui de nostro gremio sunt, ne deinceps eorum quisquam præsumat ad populum, vel disputationibus publicis asserere sententiam contrariam.* Postquam ergo Facultas præclaram hancce doctrinam, quæ in se quidem vera, perperam tamen huc applicata est, præmisisset, tandem declarat, *sententiam Sancti Gregorii Magni amplectendam esse ac tenendam nimirum, quod (licet in sacris Evangeliorum textibus ejusdem beatæ Peccatricis pro diversitate statuum ejus varia legantur officia) unica tamen sit Maria Magdalena, quæ Marthæ Soror existit, & Peccatrix illa, cujus conversionem scripsit S. Lucas, hanc enim sententiam Evangelio Christi, & sanctis Doctoribus conformem, & Ecclesiæ Catholicæ ritui*

tui consentaneam esse, scripta vero adversus hanc opinionem nullatenus toleranda Un-  
 de omnibus, qui de nostro gremio existunt, inhibendum, ne deinceps eorum quispiam in concionibus ad populum, aut disputationibus publicis contrarium asserere præsumat.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1521.

Lata hac censura Tillemontius, Bailletus, alique hanc quæstionem exactius discusserunt, ex quibus Dupinus ita scribit: „ Parisiensis Facultas hodie „ dum ab hac opinione recedit, eo potissimum nomine, quod nunquam, „ ejusmodi sententiam ad fidem pertinere, Ecclesia censuisset, eo quod parum referat, an una vel plures ex hisce Sanctis fuerint. „ Ceterum unam ab alia distinguendam esse, tum ex S. Evangelio, tum ex Ecclesiasticæ antiquitatis testimoniis facili negotio decidi posse videtur; nam imprimis, Peccatrix illa fuit publica meretrix in Naim urbe, quæ in Evangelio nunquam Magdalena nominatur, nec plusquam unica vice Christum Dominum conspexit, quando scilicet unxit pedes Jesu, ac Christus ad illam dixit: *Vade in pacem*: Ex adverso Maria Magdalena ex Galilæa, ac nobili ex genere ortum ducebat, & postquam a dæmonio, quo possidebatur, liberata fuit, continuo Christum Dominum secuta est. II. Affir-

*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. K. mari*

**Sæc. XVI.** mari nequit, quod Maria Magdalena  
**A.C. 1521.** fuerit Lazari soror; hæc enim erat in  
 Bethania prope Jerosolymam, ille vero ex Gallilæa venit: ac propterea Evangelistæ semper inter illas distinguunt, dum unam appellant Mariam Magdalenam, alteram vero Marthæ sororem, præterea S. Evangelii textus utrique diversa assignat munia, omnesque antiqui Patres, qui D. Gregorium præcesserant, has tres mulieres discernabant, nec ante Sanctum hunc Pontificem, quin discrimen facerent, Peccatricem fuisse Magdalenam affirmabant; denique nuperi sæculi celebriores Scriptores Ecclesiastici tres distinctas fuisse personas censuerunt, ut patet ex Breviariis recens recognitis, & præcipue in Parisiensi (\*).

## §. LXXXI.

*Ministri a Cardinalibus Romæ Sede vacante nominati.*

Præusquam ad novi Pontificis electionem procederetur, omnes Cardinales in unum congregati (exceptis Medicæo

---

(\*) Consule hæc in rem doctissimum hujus ævi Criticum P. Honoratum a S. Maria Carmelitam Discalceatum in Tomo I. animadversionum in Regulas Critices.

dicæo, Cortonensi, Cornaro, & Cibo) Sæcul. XVI.  
A.C. 1521.  
 nominabant Officiales, qui vacantis Se-  
 dis tempore sua quisque munia obirent.  
 Igitur exercitus imperium Constanti-  
 no Comneno Macedoniae Duci commit-  
 tunt, Romanæ autem Urbis Regimini  
 Vincentium Caraffam Neapolis Archi-  
 episcopum, ac denique Palatii Vaticani  
 custodiæ Annibalem Ramigo Spoleti  
 Episcopum præficiunt. Præterea plu-  
 ra alia negotia decidi curarunt: cum  
 vero nonnullæ causæ in prima hac con-  
 gregatione dirimi ac componi haud  
 potuerint, hanc in rem ex Episcopo-  
 rum ordine Cardinalem de Montibus,  
 nec non Piccolominæum Presbyterum,  
 & Cæsiûm Diaconum itidem Cardina-  
 les nominarunt. His ita dispositis, o-  
 mni die in secunda aula Congregatio  
 habebatur; inchoatis vero Papæ defun-  
 cti exequiis, tres illi Cardinales de  
 Montibus, Piccolominæus, & Cæsius  
 confestim unacum ærarii Romani Præ-  
 fide ad cubiculum Cardinalis de Monti-  
 bus sese contulerunt, ibidemque, quæ  
 ad urbis, platearum, pontium, ac por-  
 tarum custodiam necessaria essent, edito  
 mandato disposuerunt.

Sæc XVI.  
A.C. 1521.

§. LXXXII.

*Cardinales non nisi liberato prius  
Ferrerio Cardinale, Con-  
clave intrare vo-  
lentes.*

Interea Cardinales Grimanus, Soderinus, Cedunus, Gonzaga, & Ferrerius seu Hipponensis suo quisque loco, ubi morabantur, sese itineri committabant, Romam ituri; cum vero Prosper Columna Ferrerium, quod Gallis faveret, captivum Papiæ detineret, Purpurati una omnes ad Hieronymum, Moronum, Roctium, aliosque Mediolanensium Barones literas dare compellebantur, quibus significabant, se nunquam nisi Cardinalis liber dimitteretur, conclave ingressuros. Interim iusto summo Pontifici de more persolutis die undecima Decembris in Palatio Decani Sacri Collegii generalis habebatur Congregatio, in qua de rebus actum, quæ ipsum Conclave, ac præcipue Vaticani Palatii custodiam concernebant; non deerant enim, quibus Comitum Rangoni nominatio minus probabatur, imo eandem omnino nullam declarari postulabant: unde duo ex Columnensium familia, nimirum Vespasianus, & Prosper junior, totidemque ex Urfinis præ-

præter Ludovicum Petiliani Comitem, & Laurentium Cajetanum feligebantur, qui omnes quatuor in se curam susceperant, ut suppeditatis pecuniis, cuncta pro conclavi necessaria subministrarentur; cum vero Pontificis ærarium esset exhaustum, Cardinales pecunias mutuo accipere decernebant, eisque etiam Thomas Righi Cameræ Clericus duo Ducalium millia totidemque alius quidam absque ullo fœnore numerarunt.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.

§. LXXXIII.

*Cardinales conclave ingressi.*

Alia habebatur Congregatio die decima sexta Mensis Decembris in Basilica S. Petri in Sacello Sixtino. In hac conclavi initium esse dandum decernebatur, simulque cunctis, quæ ad portarum custodiam requirebantur, dispositis, reliquum diei colloquiis impendebatur, quibus Regum ac Principum Oratores honorati fuere. Die vigesima septima ejusdem Mensis Purpurati, re divina de Spiritu Sancto peracta, conclave ingressi sunt: Erant numero triginta novem, nec unquam Sacra hæc comitia majori Cardinalium frequentia magis erant conspicua. Primo quidem levis oriebatur contentio de schedarum

*Pet. Deiph.*  
*l. 12. ep. 50.*

**Sacell. XVI**  
**A. C. 1522**

darum norma, mox tamen decretum, illas esse scribendas, atque ex parte Scripturæ sigillo muniendas, ex altera vero parte absque sigillo complicandas, ne quovis pacto mutari valerent. Præterea sancitum, ut si qui forte mutata sententia ceteris accessuri, atque alteri sua suffragia daturi essent, id indicare deberent quodam signo, de quo ante scrutinium conveniretur. Hoc quidem jam octava Decembris decernebatur, ubi vero rursus proponebatur, nonnulli sese huic statuto opponerebant, contendentes, juxta veterem morem suffragantium schedas omnino apertas esse dandas, alii vero eas clausas sigillo firmari petebant. Tertio post die scilicet trigesima Decembris Sacellanus in Sacello S. Nicolai sacris operatus est, quibus peractis suffragia prima vice colligebantur. Demandata est schedas ex calice extrahendi cura senioribus trium ordinum Purpuratis, quibus Cardinalis tit. Aræ-Coeli adjungebatur, post hæc Cornarus suffragia publice prælegit, eaque cunctis, qui illa signaverant, legenda exhibuit. Ferebat Ostiensis Cardinalis suffragia novem, Grimanus decem, Volaterranus, Flischus, de Montibus, & Anconitanus, quilibet quinque, Farnesius & Jacobatius septem, alique adhuc pauciora.

Ergo

Ergo die prima Januarii Anno Christi Sæcul. XVI.  
millesimo quingentesimo vigesimo A.C. 1522.  
secundo ad alteram votorum inspectio-  
nem, quam *Scrutinium* vocant, procede-  
re oportuit, ubi cum una aperiretur  
scheda, in ea tredecim omnino Cardi-  
nales nominabantur, quæ res adeo ce-  
teros commovit, ut suffragantis nomen  
rupto sigillo manifestari peterent, quod  
tamen effectui datum non est. In alia  
quadam scheda quinque scripti legeban-  
tur; præter hos Cardinalis Ostiensis  
decem, nonnulli septem, alii quinque  
suffragia ferebant. Die secunda Janua-  
rii tertia habebatur suffragiorum col-  
lectio, ubi in Cardinalem tit. SS. qua-  
tuor Coronatorum quindecim Purpu-  
rati conspirabant, in quarto autem  
scrutinio die quarta Januarii habito i-  
dem nonnisi quinque, Flischus vero no-  
vem, totidemque in quinta votorum in-  
spectione postero die facta, nec non a-  
lii suffragia quinque habebant. Se-  
quenti vero die Cardinalis Cibo, qui  
tum ægrotabat, ejus schedam deferenti-  
bus Anconitano, & Ursino Cardinali-  
bus, solus duodecim suffragia numera-  
bat, moxque Cardinalis tit. SS. quatuor  
Coronatorum exclamabat: *Nunc habe-*  
*mus Pontificem.* quocirca eidem Cardi-  
nali Medicæus, Petruccius de Valentia,  
Campegius, Cortonensis, Armellinus.



Sæcul. XVI. & Rangonius accesserunt. Sub idem  
A.C. 1522. tempus Cælarinus, qui prius Farnesio  
 suffragabatur, mutata jam sententia Æ-  
 gidium nominabat, quam ob rem tam  
 acris orta est contentio, ut plerique e-  
 jus schedam aperiri voluerint; & quam-  
 vis omnes Papam esse electum divul-  
 garent, Cardinales tamen ad ulteriora  
 minime progredientes ea die nil am-  
 plius gesserunt.

Grimanus Cardinalis, cum adversa  
 valetudine premeretur, variasque artes,  
 quibus salva animi integritate ad stipulari  
 haud posset, adhiberi cerneret, ex con-  
 clavi excedere fatius duxit, ceteris Car-  
 dinalibus eum detinere nequicquam  
 conantibus: Cum vero Ægidius Car-  
 dinalis Farnesio vehementer indigna-  
 retur, septima jam vice suffragia colli-  
 gere oportuit, ubi Jacobatius undecim,  
 Flischus septem, Ursinus decem, & Gri-  
 manus septem sibi suffragantes habuit.  
 Octavum quoque scrutinium effectu  
 caruit.

Equidem Volseus Cardinalis, Regis  
 Angliæ Minister, nec auro nec labori  
 pepercit, ut ipse in summum Pontificem  
 eligeretur: omnes tamen illius cona-  
 tus in irritum ceciderunt. Nec be-  
 nignior aspirabat fortuna Medicæo Car-  
 dinali, qui itidem potiorum suffragio-  
 rum

rum partem sibi conciliare nitebatur. Sæcul. XVI  
A.C. 1522.  
Dudum Volseus vana spe semetipsum  
lactabat, fore, ut sua tandem prævale-  
rent consilia, eoquod Cæsar, cui non in-  
fima in conclavi erat auctoritas, maxi-  
mam ei spem fecisset, effecturum se, ut  
ipse Papa fieret. Verum Carolus tan-  
tum ab eo, quod obtulerat, præstando  
absuit, ut potius Adrianum Cardina-  
lem Florentinum, Dertusæ Episcopum,  
a quo olim literis imbuebatur, defuncto  
Pontifici subrogari curaret.

## §. LXXXIV.

*Electio Adriani, Cardinalis a Cæsare  
clam agitata.*

Ceterum tanta dexteritate, tamque  
religiosa taciturnitate res ageba-  
tur, ut Cardinales, qui Caroli partibus  
obsecundabant, animi sui propositum  
minime proderent, sed jamjam conten-  
ti, ut Medicæi Cardinalis consilia ever-  
terent, interea opportunam sua vota ad  
effectum deducendi occasionem tran-  
quille expectarent. Nec minus caute  
Imperator animi sui sensus occultabat,  
quamvis ceteroquin Cardinalium quo-  
rundam fidem adeo sibi perspectam ha-  
beret, ut de secundo successu securus  
esset. Id rei probavit eventus, quippe  
Adrianus nunquam hucusque nomina-

**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1522**

tus, in nona scrutatione die nono Januarii habita solus quindecim tulit suffragia, atque ille, qui Adrianum omnino eligendum ceteris proposuerat, in amplissimas illius laudes excurrens, præclaras ejus dotes, ac copiosos fructus in Ecclesiam ex ejusmodi electione redundantes prolixius enumerabat, quæ elogium Cardinalis S. Sixti, alias de Minerva dictus, suo quoque suffragio comprobans, se quoque eidem accessisse affirmavit, quo dicto Cardinales Columna, Cavallicensis, de Monti, Fruftius, Comensis, Piccolominæus, Anconitanus, Numalius de Ara cœli, Armellinus Tranensis, & alii eidem quoque suffragati sunt, adeo, ut in eum solum quindecim suffragia convenirent.

§. LXXXV.

*Adrianus Cardinalis Dertusensis  
Episcopus in Papam  
electus.*

*Ciacon. to. 3.  
p. 423.*

*Spond. ad  
ann. 1521.*

*n. 11. & 1522.  
n. 1.*

Sub idem tempus Cardinalis tit. S. Crucis Farnesium, ut suo quoque suffragio Adriano accederet, admonuit; ille vero respondit, sibi id haud integrum fore, eo quod Adrianus non modo exterius esset, sed nequidem Romanæ urbis limina unquam salutasset: Cum vero ceteri

ceteri omnes ejusmodi rationibus mi-  
 nime terrerentur, plures se illis quin-  
 decim jungebant, adeo, ut Adrianum ex  
 tribus duæ suffragantium partes no-  
 minarent. Medicæus Cardinalis com-  
 perta ceterorum propensione, & ipse  
 potiori parti suffragatus est, veritus, ne  
 ejusmodi repugnantia prorsus irrita ne-  
 gotium sibi faceretur. Itaque Adriani  
 electio unanimi omnium consensu con-  
 secta est, atque omnino prodigiosa &  
 divini Spiritus afflatu directâ habeba-  
 tur ab illis, qui humana potissimum  
 consilia intervenisse ignorabant. Ce-  
 terum Adriano vix electo Parisius de  
 Grassis Pisauriensis Episcopus Protono-  
 tario præcepit, ut ejusdem electionem  
 populo annuntiaret, quod ille his ver-  
 bis executus est: *Habemus Pontificem Do-  
 minum Adrianum Florentium, Trajecti in  
 Belgio natum Cardinalem Presbyterum tit.  
 SS. Joannis & Pauli.*

Cum vero eo tempore Adrianus in  
 Hispaniis ageret, sacrum Collegium  
 Cardinales Pompejum, Columnam &  
 Alexandrum Cæsarinum per sortes ele-  
 gerunt, qui Legatorum munere aucti  
 S. Collegii nomine Adrianum conveni-  
 rent: quo decreto soluta fuere sacra  
 comitia.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1522.

§. LXXXVI.

*Novi Pontificis Historia.*

*Paul. Jov. in  
vita Adriani  
VI.  
Victorel.  
apud Ciacon.  
Pallavic. lib.  
1. cap. 2.*

Neo-electus Pontifex patria Batavus natus est Trajecti die secunda Martii anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, ejus Pater fuit Zytopola, vel ut alii putant, aulæorum opifex, sed adeo pauper, ut filium suo sumptu bonis literis imbuere, nequaquam posset, cum vero miras nobilioris ingenii dotes in illo deprehenderet, eundem Lovanium misit, ut in Collegio Portiorum gratuito stipendio cum ceteris pauperibus alumnis aleretur. Ibidem Adrianus in disciplinis tam Philosophicis quam Theologicis eximium adeo profectum fecit, ut eidem, cum die vigesima prima Junii anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo Doctoratus laurea decoraretur, ipsa Margarita Eduardi IV. Regis Angliæ Soror, tum Caroli audacis Burgundiæ Ducis vidua, & Belgii Gubernatrix ad obtinendos hosce honores necessarias expensas suppeditare voluerit, Paulopost Adrianus ejusdem Margaritæ opera primo Lovanii Canonicus ad S. Petri ædes, postea Theologiæ Professor, ejusdemque Ecclesiæ Decanus, ac demum Universitatis Cancellarius electus fuit.

Maxi-

Maximilianus I. Nepoti suo Carolo Archiduci, qui tum nonnisi septimum ætatis annum agebat, ac postea Hispaniæ Rex, dein Imperator sub nomine Caroli V. salutabatur, Adrianum litterarum, virtutisque Magistrum selegit, eundemque postmodum in Hispaniam Legatum decrevit ad Ferdinandum Regem, a quo Dertusæ, quæ Cataloniæ urbs est, Episcopus designatus, post Ferdinandi obitum unacum Ximenio Cardinale Hispaniam gubernavit, tandem vero Caroli V. nomine solus Regni Prorex renunciatus est.

Sæcul. XVI.  
A. G. 1522.

§. LXXXVII.

*Adrianus VI. appellatus.*

Die prima Julii Anno salutis millesimo quingentesimo decimo septimo a Leone X. Papa Cardinalium Collegio adscriptus est. Agebat is Victoriæ quadam Cantabriæ urbe, cum electionis suæ nuncium accepit, moxque Pontificio habitu ornatus, Adrianus VI. nominari voluit; quæ rei novitas omnibus admirationi fuit, eo potissimum nomine, quod quingentis abhinc annis & amplius Prædecessores ejus semper nomina sua mutassent.

Duchesne  
vies des Papes p. 383.  
Rayn. ann.  
1522. n. 3.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.

§. LXXXVIII.

*Adriani electio populo Romano  
ingrata.*

**H**ujus electio Romanis, qui natione Italum præfici optabant, minus accepta erat, ac speciatim populus a deo indignanter ejus nominationem ferebat, ut Cardinales, cum patefacto conclavi domum redirent, passim injuriis ac maledictis appeteret; hunc Romanorum furorem auxit fama in vulgus sparsa, Pontificem neglecta Roma in Hispania permansurum, aut saltem in Hollandiam rediturum, ut longiori itinere moram traheret. Præterea Paulus Jovius refert, quod Gonzaga Cardinalis, dum fervente populi tumultu cum pluribus Cardinalibus per pontem Sancti Angeli præterveheretur, *renidenti vultu sese ad illos, qui ceteris magis tumultuabantur, convertens, his gratias egerit, quod adversus extrema supplicia promeritos contumeliis essent contenti, nec lapidibus publicam injuriam vindicarent.*

*Paul. Jov. in  
vit. Adriani  
VI. p. 251.*

Interim, dum ipse Romam veniret, Sacrum Collegium ex quovis ordine tres Cardinales constituit, qui Pontificia obirent munia, & Palatium Vaticanum incolerent. Die tamen decima Februarii Cardinalis Cibo, & Grimanus Eccle-

Ecclesiæ regimen acceptare recusabant, Fliscus quoque sese huic oneri itidem subducere cogitabat, ast legitima excusatione destitutus, suam nominationem ratam habere compellebatur, idque unicum precibus ejus datum, ut in Vaticano Palatio habitare non cogeretur.

*Sæcul. XVI.  
A. C. 1522.*

§. LXXXIX.

*Lutherus deserto secessu Wittembergam delatus.*

Ineunte hoc anno Lutherus custodiæ suæ pertæsus Wittembergam rediit, cum vero ab Electore Saxonæ minime vocatus esset, ejusque indignationem ultraneo hoc reditu incursum se pertimesceret, ideo Mense Martio ad eundem literas dedit, hunc in modum scriptas. Jussa tua, Serenissime Princeps, semper revereor, secessum tamen meum relinquo, nullo perverso animi proposito stimulatus; haud equidem me latet, me plurimum objurgationem incursum, quod tali pacto meipsum discrimini exponam; cum enim a Papa necnon a Cæsare proscriptus sim, tantam horum potentiam contemnere non deberem, hæcque dudum, necnon seria mente perpendi; nihilominus triplici ex causa reditum meum oppido necessarium fore existimo, ac primo quidem, quod a  
Witten-

*Sleid in com.  
l. 3. p. 80.  
Florim. de  
Raym. de  
orig. hæres.  
l. 1. c. 5.  
Surius in  
com. an. 1522  
Cochl. in actis  
& script.  
Luth. ann.  
1522. p. 48.*



**Sæcul. XVI**  
**A. C. 1522.**

Wittenbergenſi Eccleſia, cujus conſervationem negligere haud valeo, iteratis literis evocatus fuerim; hujus enim Eccleſiæ populique cura ſpeciali ratione mihi concredita, ejusque ſalus plurimum cordi eſt. Altera ratio fuit, quod me abſente diabolus totam meam Eccleſiam turbaverit, nec aliter quam me præſente pax revocari poſſit, quæ ratio adeo urgens mihi viſa eſt, ut vix rem edoctus, conſeſtim nilque hæſitans itineri me commiſerim; nihil enim antiquius habeo, quam gregis mei ſalutem, cui quidem per epistoſas invigilare potuiſſem, niſi in præſenti rerum viciffitudine ejusmodi remedium nimis infirmum fuiſſet. Denique tertia ratio erat, quod ingentem tempeſtatem Germaniæ impendentem prævideam, cum illa Dei beneficia ſibi oblata contemnat. Equidem non pauci veram doctrinam (ita commentitiam ſuam reformationem appellitabat) ſummo ſtudio amplexi ſunt, aſt iidem illam morum ſuorum perversitate coinquinant, illam Spiritus libertatem, quam a me edocti ſunt, in uſum improbum vertunt; alii vero omnino toti in eo ſunt, ut eandem hanc doctrinam penitus opprimant, quæ res ſeditionem afferre poſſet. Quamvis enim jam potenter Papæ tyrannidem diminuerim, cum tamen Magiſtratus inſignem

signem adeo favorem grato animo accipere recusent, timendum omnino, ne Deus Verbi sui contemptum puniat, ac sensim omnes malis oppressos penitus delet.

In eadem epistola plures adhuc alias reditus sui causas adducit, quibus tamen minus insistit, primas, quas allegasset, satis superque validas existimans. His tandem addebat: oro te Serenissime Elector, ut meum in urbem accessum, licet absque tua venia factum haud indigne feras, sed recorderis, quod tanquam Princeps supremus non nisi in corpora, ac subditorum bona potestatem habeas, solus vero Christus supremus sit animarum Dominus, quarum cura cum mihi est credita, eis in auxilium venire, obstrictus sum.

## §. XC.

*Tumultus a Carolstadio Wittembergæ suscitati.*

Turbas, quas Lutherus in sua epistola memorat, Wittembergæ suscitaverat Carolstadius, qui Lutheri absentiam in rem suam vertens, totam Ecclesiae disciplinam evertere nitebatur: Idem enim, cujus jam olim mentionem ingessimus, Vir erat ferox, stupidus, callidus tamen & seditiosus, sine pietate,

Sæc. XVI.  
A.C. 1522.

Sleid. l. 3.  
p. 82.

Zwingl. ep.  
ad Matth.

Albert. id. de  
vera Relig.

*Hist. Eccles. Tom. XXXIV.*

L &

**Sæcul. XVI.** & absque humanitate, Judæo similior  
**A.C. 1522** quam Christiano, cujus ignorantia nul-  
*Hofinian.* lo magis luculento comprobatur argu-  
*fac. part. fol.* mento, quam illa explicatione, qua Chri-  
**132.** sti Domini verba in institutione S. Eu-  
 charistiæ prolata corruptit, affirmans,  
 quod Salvator noster, dum dixit: *Hoc*  
*est corpus meum* nullatenus respexerit ad  
 corpus, quod tradidit, sed duntaxat se-  
 metipsum ostendere voluerit sedentem  
 in mensa, prout erat cum suis Discipu-  
*Hist. Variat.* lis. *Ridicula prorsus explanatio*, inquit Mel-  
**l. 2. c. 8.** densis Episcopus, *quam ab homine ratio-  
 ne utente inventam vix credas.*

## §. XCI.

*Diffidiorum initia Lutherum inter &  
Carolstadium.*

**P**riusquam Carolstadius absente Lu-  
 thero infulsam hanc interpretatio-  
 nem excudisset, Wittembergæ sacras i-  
 mages e templis ejecit, sacratissimi Sa-  
 cramenti elevationem, ipsasque Missas,  
 ut vocant, privatas abrogavit, & com-  
 munionem sub utraque specie restituit.  
 Non equidem Lutherus hæc novitates  
 improbabat, sed importuno tamen tem-  
 pore factas, parumque necessarias da-  
 mnabat: *Omnes, aiebat, erraverunt, qui-  
 cunque consenserunt ad abrogandam Missam,  
 non quod bonum non fuerit, sed quod non*

ordi-

ordinate factum est. *Ast dicis justum id esse ex Scriptura? fateor & ego, sed ubi manet ordo? quia ex temeritate factum est, absque omni ordine, cum scandalo proximi? Et nisi adeo mala res esset Missa, vellem eam restituere, optarem omnes imagines in toto mundo abolitas esse, sed prius imagines ex populorum animis, in quibus insculptæ sunt, eruere, illosque bene instruere vellem, postea corporeæ hæc imagines sua sponte concident.*

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1522**

Nihil tamen vehementius Lutheri indignationem provocabat, quam quod Carolstadius neglecta ejus auctoritate novi Doctoris officium sibi arrogaret; quocirca Lutheri sermones, quos hac de re habuit, notatu digni sunt; quippe suppresso Carolstadii nomine illos, qui horum ausuum auctores exstiterant, increpabat, quod nulla legitima potestate, quam missionem vocat, suffulti, tales ausus attentassent, perinde ac si sua audacia firmiori niteretur fundamento. *Tueri, inquit, facile illos possum contra Pontificem, ast non contra dæmonem in mortis articulo objicientem illud: omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicetur, & illud: non mittebam Prophetas, sed ipsi currebant, non loquebar ad eos, sed ipsi prophetabant. Quid tunc respondebunt? in infernum præcipitabuntur.*

*Ep. Luth. ad  
Casp. Gustol.*  
1522.

*Serm. quid  
Christiano  
præstandum*  
to. 7. fol. 273.

Sæcul. XVI. In alio sermone, quem itidem Wit-  
 A C. 1522. tembergæ habuit, probare conabatur,  
 ad tollendas morum corruptelas non  
 tumultus, non manus, sed Verba esse ad-  
 hibenda; *Dum enim*, inquit Lutherus,  
*suaviter dormiebam, aut cerevisiam cum*  
*Melanchtone hauriebam, verbum meum Pa-*  
*pam tum fortius concussit, quam Principum*  
*ullus. Si cum tumultu agere voluissem, na-*  
*taret Germania in sanguine, nec Imperator*  
*Wormatiæ, ubi tum eram, securus fuisset.*

Nec tamen propterea Carolstadius  
 sua ex parte obmutuit, sed ita a Luthe-  
 ro laceffitus, doctrinam de præsentia  
 reali impugnare aggressus est, non alio,  
 quam æmulum suum exagitandi studio  
 incitatus. Nec segnior Lutherus in o-  
 dium Carolstadii S. Hostiæ elevationem,  
 quamvis eam prius abrogare consti-  
 tuisset, nihilominus retinuit, ut ipsemet  
 passus est. *Ne*, inquit *Diabolus nos do-*  
*cuisse aliquid videatur.* Nec moderatius  
 scribebat in quadam epistola, in qua de  
 Carolstadii reformatione agens, eidem  
 exprobrat, *quod Christianismum reduce-*  
*rit ad res nihili, quales sunt, communio-*  
*nem sumere manibus, & sub utraque spe-*  
*cie, abrogare confessionem, & confringere*  
*imagines.*

Unum tamen articulum Lutherus  
 in Carolstadio improbare non audebat,  
 nempe

*Hofein part.*  
*2. fol. 188.*  
*Ep. ad Casp.*  
*Gustol. form.*  
*Miss. tom. 2.*  
*fol. 384. 386.*

nempe impias, quas contraxit, nuptias; cum enim ipsemet Lutherus sacrilegum ejusmodi connubium inire constituisset, pergratum ei accidit, quod Carolstadius exemplo suo præire haud dubitasset. *Hæ nuptiæ, inquiebat Lutherus, summa me afficiunt lætitia, itaque Deus Carolstadium corroboret in facinore, quod nuper ad vitæ licentiam in Papislis reprimendam aggressus est.* Ceterum hæreticus iste ex omnibus Germaniæ Ecclesiasticis primus fuit, qui publice connubium inire attentavit, ubi ejusdem discipuli ad celebrandum infamem hunc concubinatum epitalamium multis blasphemis unacum impietate respersum composuerunt.

## §. XCII.

*Lutheri epistola ad comitia Ordinum Bohemiæ.*

**E**ffrænata in Dei Ecclesiam rabies Lutherum ad quævis audenda concitavit; unde Statuum, ac nobiliorum Virorum arcana, quantum valuit, explorare intentus, eos ab unitate Ecclesiæ avellere nitebatur: Cum vero in Bohemia a Regni Ordinibus comitia celebrari, ac Pontificis auctoritatem toto studio stabiliri comperisset, ad tantam prolapsus est audaciam, ut datis ad hu-

L 3

jus

3æcul. XVI.  
A. C. 1522.

Sæcul. XV.

A.C. 1522

jus regni Ordines literis summum Pontificem apud eos in invidiam trahere, ac totis viribus, ne Romanæ urbis Episcopus pro Apostolorum successore ab eis haberetur, impedire præsumeret. Dabat hanc epistolam die vigesima nona Julii, atque in ea hæc scribit: Sæpius me in Bohemiam eundi desiderium inceserat, hoc tamen iter aggredi ausus sum nunquam, veritus, ne mei Adversarii me aufugisse credant, spero tamen, Germanos ac Bohemos brevi eandem fidem professuros; credebat enim Lutherus, quod hi scilicet ex mente Ipsius, summi Pontificis auctoritatem haud ultra reverituri, sed illum velut antichristum, Romam vero tanquam Babyloniam Meretricem detestaturi essent: cum vero Catholicorum pars ceteris numero & potentia adhucdum prævaleret, hunc populum adhortabatur, ut dejecto divisionis muro a Joannis Husli, & Hieronymi Pragensis Doctrina minime recederet.

## §. XCIII.

*Lutheri liber contra Episcopos Germanicæ.*

*Steidan. in tom. 1.3 p.83*

Eodem anno Lutherus adversus totum Ecclesiasticum Germaniæ statum, ac præcipue contra Episcopos librum edidit

dit prorsus seditiosum, latino sermone Sæc XVI.  
 conscriptum, cui hunc titulum præfixit: A C 1522.

*Adversus falso nominatum ordinem Episcoporum.* In proemio libri semetipsum  
 appellat *Dei gratia Ecclesiastem, ac Witembergensem Prædicatorem.* Cum enim, *Cochl. p. 52.*  
*53. ad ann.*  
*1522.*

inquit, tot Bullæ, tot anathemata, ac Papæ  
 Cæsarisque damnationes omnes mihi titulos  
 abstulerint, & bestię characterem in me de-  
 leverint, necessario hunc titulum suscepi, non  
 ab homine, neque per hominem, sed per re-  
 velationem Jesu Christi. In toto hoc li-  
 bro nonnili convitiis atque opprobriis *Sleidan. l. c.*  
*p. 83.*

adversus Ordinem Episcoporum infano  
 furore tumultuatur, eosque ignorantię, *Adversus*  
*falso &c. in-*  
*ter opera*  
*Luth t. 2.*  
*fol. 305.*  
*Cochl. l. c. fol.*  
*49. 50. 51.*

licentioris vitæ, ac tyrannidis insimulat,  
 præcipue vero eosdem velut Evangelii  
 & veritatis hostes, atque idololatrias  
 traducit, eo quod, inquit ipse, hominum  
 traditiones sequantur, & Papæ idolum  
 adorent. Nec etiam effutire erubescit,  
 quod Ecclesiæ ac Monasteria nil nisi In-  
 ferni portæ, ac inutilium rituum officinæ  
 sint; postea etiam declamat contra  
 celibem vitam, & vota, nilque eorum  
 prætermittit, quibus Clericos populo  
 infensos reddere, plebemque contra eos  
 ad seditionem suscitare poterat, quini-  
 mo eo temeritatis pervenit, ut etiam  
 asserere auderet, quod Episcopi nonnisi  
 ex seductione Sathanæ Episcopi sint,



**Sæcul. XVI.** proin tanquam Dæmonis Nuntii ac Vi-  
**A. C. 1522.** carii habeantur.

## §. XCIV.

*Lutheri scriptum adversus Bullam  
 quæ incipit: In Cæna Do-  
 mini.*

**Cochl. p. 49.** Præterea, ut suam in Pontificem vin-  
 dictam exereret, eo quod ab eo pro-  
 mulgata Bulla, quæ incipit: *In cæna  
 Domini* nominatim excommunicatus  
 fuisset, aliam opposuit Bullam, suo Au-  
 ctore dignam, quam inscripsit: *Doctõris  
 Lutheri Bulla & reformatio.* In ea in-  
 quit: *Quicumque opem ferunt, corpus, bona,  
 & famam in hoc impendunt, ut Episcopatus  
 devastetur, & Episcoporum Regimen ex-  
 tinquatur, hi sunt dilecti Filii Dei, &  
 veri Christiani. Contra vero quicumque  
 manutinent Episcoporum Regimen eisque  
 obediunt, hi sunt Diaboli ministri proprii.*

## §. XCV.

*Germanica Novi Testamenti transla-  
 tio per Lutherum facta.*

**Cochl in act.** Hoc eodem anno Lutherus sacri Co-  
**& script.** dicis ac præcipue novi Testamenti,  
**Luth ann.** quod Germanice reddebat, partem di-  
**1522. p. 50.** vulgare cæperat. *Quis, inquit Coch-  
 læus,*

læus, satis enarrare queat, quantus dissidio-  
 rum, tumultuumque, & ruinarum fomes, & Sæcul. XVI.  
A.C.1522.  
 occasio fuerit ea novi Testamenti translatio,  
 in qua Vir jurgiorum, data opera, contra Prætol. in  
Luth.  
 veterem & probatam Ecclesie lectionem Spond. ad  
hunc an.n.116  
 multa immutavit, multa decerpfit, multa ad-  
 didit, & in alium sensum detorsit, multas  
 adjecit in marginibus passim glossas erroneas,  
 atque cavillosas, & in præfationibus ni-  
 hil malignitatis omisit, ut in partes suas  
 traheret Lectores, quorum quamplurimos  
 misere seduxit: Præsertim Lutherus  
 errores suos in præfationibus atque no-  
 tis manifestius, quam in ipso textu o-  
 stendit. Insurrexerunt quantocius con-  
 tra hanc versionem Catholicorum quam-  
 plurimi, qui ex ea plusquam mille de-  
 pravationes collegerunt. Hos inter  
 Hieronymus Emserus Lipsiensis Do-  
 ctor, qui Georgii Saxonie Duci a Con-  
 siliis erat, non solum hos Lutheri erro-  
 res scripto notavit, sed velut pro salubri  
 contra Lutheri venenum antidoto fi-  
 delem & exactam translationem, quæ  
 probato ac recepto in Ecclesia textui  
 latino in omnibus conformis erat, evul-  
 gavit: quæ eadem postmodum translatio  
 per universam Germaniam diffunde-  
 tur, eo fine, ut Catholici sacras literas  
 ad manus haberent, in quibus nil nisi  
 ad inspirandam pietatem, & Dei cultum  
 utilia invenirent, suasque animas Dei

**Sæcul. XVI.** verbo ipsis in lingua vernacula proposito pascere possent: nec magis prudenti ratione confundi valent turgida Hæreticorum promissa, quibus falso persuadent, a se tantum ea, quæ evidenter in Dei verbo continerentur, ad credendum proponi. His ergo opponantur Sacræ Paginæ fideliter versæ, atque hoc medio facile illis falsa eorum jactantia demonstrabitur. Enimvero nihil magis hæreticorum conversionem adjuvat, quam si eis probata sacri Codicis translatio ob oculos ponatur.

## §. XCVI.

*Polonica Bibliorum translatio Socinianæ opposita.**Possevin. in appar.*

**L**uculentum hujus rei argumentum desumitur ex iis, quæ Possevinus refert de Bibliis, quæ Sociniani Polonice reddiderunt, cui Jacobus Viecius, celebris ac doctus Jesuita totum sacrum Codicem in idem idioma a se translatum opposuit, „ cum enim, ut inquit „ Possevinus, Unitarii eo fine versiones „ hæc Polonicas ederent, ut suos errores per universam Poloniam disseminarent, hinc Jacobus Viecius Jesuita „ ex eadem natione ortus a Gregorio „ XIII. Papa mandatum accepit, ut sacras Paginas ex integro in idioma „ Polo-

„ Polonicum transferret, hocque pacto sæcul. XVI.  
 „ genuinam versionem illi spuria ab A. C. 1522.  
 „ Anti-Trinitariis conflatae opponeret.  
 „ Itaque Viecius eam adornavit, ac ve-  
 „ teri latinæ versioni insistens illam  
 „ Cracoviæ approbante summo Ponti-  
 „ fice in postremo hujus sæculi anno ty-  
 „ pis vulgavit. Porro nova hæc ver-  
 „ sio ad extirpandos recentiorum Aria-  
 „ norum, qui sese per hoc regnum dif-  
 „ fundebant, errores perutilis est; unde Gnesnensis Archiepiscopus Poloniae  
 Primas eandem suis impensis edi curavit: Præterea Patres Jesuitæ in Catalogo,  
 ubi cunctos Societatis Scriptores refe-  
 runt, testantur, quod hæreticorum versio-  
 nes mox vilescere incæperint, postquam  
 Viecius Epistolas & Evangelia vulgave-  
 rat, quinimo iidem admodum pruden-  
 ter animadvertunt, „ quod hujus Viri  
 „ opera inutiles reddiderit artes hæ-  
 „ reticorum, quibus nil magis solemne  
 „ est, quam sacras Paginas, quæ publi-  
 „ ci ac communes Ecclesiæ fontes sunt,  
 „ veneno suo inficere, ac malignis ver-  
 „ sionibus depravare, eo fine, ut illi  
 „ qui ex corruptis ejusmodi fontibus  
 „ aquam salutis haurire desiderant,  
 „ eam bibere non possint, quin veneno  
 „ sibimetipsis mortem consciscant. „  
 Eundem etiam finem sibi præfixisse vi-  
 detur Emserus, dum integerrimam novi  
Testa-

**Sæcul. XVI.** Testamenti versionem opposuit illi,  
**A.C. 1522.** quam Lutherus in tot locis corruptam,  
 atque adulteratam edidit.

## §. XCVII.

*Lutheri versio Novi Testamenti  
damnata.*

*Ep. Duc.  
Greg. ad Re-  
gem Angliæ  
apud Cochl.  
an. 1522. n. 50*

Cum tam adulterinam versionem Rex Angliæ conspiceret, hac super re literas dedit ad Germaniæ Principes, præcipue vero ad Fridericum, Joannem, & Georgium Saxonæ Duces, quos admonuit, ut malo inde pullulanti obviant. *Literas has, inquiebat, ob signaturo mihi in mentem venit, Lutherum in suis adversum me nœniis excusare se, quo minus ad reliqua respondeat, impeditum se esse transferendo Biblia. Visum est igitur hortari vos, ut omnium rerum maxime provideatis, ne id permittatur facere. Nam ut ut bonum esse, non negem, in quavis lingua legi Scripturam sacram: id certe periculosum est ex ejus versione, cujus mala fides fidem facit omnibus, id illi studium esse, ut bene scripta male vertendo pervertat, & populus ea se legere putet in Scriptura sacra, quæ vir execrabilis ab execrandis hausit hæreticis. Ast sera nimis fuit admonitio; priusquam enim Regis Henrici VIII. literæ ad Georgium Saxonæ Ducem pervenissent, jamjam per univ-*  
 sam

sam Germaniam longe lateque divul- Sæc. XVI.  
 gata erat nova Lutheri traductio; quo- A C. 1522.  
 circa Georgio nil reliquum erat, quam  
 ut hanc versionem prosciberet, ac com-  
 buri juberet. „ Nil, rescripsit ille ad  
 „ Henricum Regem, intentatum relin-  
 „ quo, ut perniciosos hujus Viri libros a  
 „ statibus meis eliminem, nam proprio  
 „ meo ære coemo omnes, quotquot  
 „ possum, novi Testamenti ab eo tradu-  
 „ cti libros; certus enim sum, illum eo  
 „ duntaxat sine hunc laborem in se fu-  
 „ scepisse, ut eo fallacius errores ac Cochl. l. cit.  
 „ dogmata sua spargere valeat. „ Fer- p. 55.  
 dinandus quoque Austriæ Archidux Raynald. hoi  
 Cæsaris frater novam Lutheri versio- ann. n. 48.  
 nem publicari severissimo edicto prohi-  
 buit, ac ipsemet, cum Imperator tum in  
 Hispaniis ageret, cunctis Cæsareæ Ma-  
 jestatis suæ subditis præcepit indictis  
 gravibus pœnis, ut omnes quicumque  
 novi hujus Testamenti libros domi ha-  
 berent, eos traderent illis, quibus ejus-  
 modi cura demandata erat, ut in unum  
 congesti rogam publice comburerentur.

## §. XCVIII.

*Lutheri scriptum adversus damnatæ  
 versionis edicta.*

**H**oc Archiducis edictum in tam insa-  
 nos furores concitavit Lutherum,  
 ut

Sæcul. XVI  
A.C. 1522.

*Inter opera  
Luth lib. de  
sæculari po-  
testate.*

ut contra Principes tractatum scriberet de potestate sæculari, in quo illos tyrannidis, atque impietatis accusat, ac indignis prorsus convitiis proscindit. In Misnia, inquit, in Bavaria, in Marchia, aliisque in locis promulgarunt Tyranni edictum, ut nova Testamenta hinc inde in præfecturas tradantur. Subditi sic agant: Non foliolum, non literam unam tradant sub periculo salutis suæ. Quisquis enim id fecerit, is tradit Christum Herodi in manus; illi enim agunt velut Christicidæ, sicut Herodes. Tanta rei indignitas adeo Georgium Saxonie Ducem commovit, ut graviter apud Fridericum conquestus, eum vehementer hortabatur, ut de Luthero debitas poenas sumeret. Itidem Angliæ Rex de Lutheri petulantia plurimum apud eundem querebatur, eidemque exponebat, maximum toti Germaniæ periculum impendere, si tanta impudentia impunis permitteretur. Ast adeo crevit Lutheri potentia, ut eum castigare nemo auderet, & Fridericus Saxonie Dux, cujus potissimum fuisset ejus audaciam reprimere, eidem omnem libertatem indulgit.

§. XCIX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.*Carolus V. ex Hispaniis in Angliam  
navigans.*

**I**nterea Cæsar rebus suis in Flandria & Germania dispositis, maritimo itinere in Hispaniam revertebatur, ubi ejus præsentia multum necessaria erat: cum vero in transitu Regem Angliæ invisere decrevisset, die vigesima sexta Maji Dubrim appulsus est, ubi Volseium Cardinalem obvium habuit, qui splendido stipatus comitatu adventantem præstolabatur. Ipse quoque Henricus biduo post ibidem advenit, atque ambo Principes postmodum Londinum processerunt, ubi Imperator summis honoribus excipiebatur, ab Henrico Periscelidis Ordine auctus. Præterea uterque Bruggensem tractatum confirmabant, quo sancitum, ut Carolus V. Mariam Regis Angliæ Filiam sibi connubio jungeret, necnon idem in Francia ad Hispaniæ confinia, Henricus vero in Picardia quadraginta peditum, & decem millia equitum quisque aleret; huicque fœderi, ut Papa, Venetique accederent, rogarentur, ac denique ambo Principes fidem darent, quod sua opera Helvetios vel ad deferenda Gallorum vexilla, vel saltem ad id, ut neutrius partes ample-

Joan. Ant.  
de vera hist.  
Carol. V.  
p. 78.

.hidi usht  
.99 9

steren-



Sæcul. XVI. cterentur, inducere velint. His pactis  
A.C. 1522. Henricus oppido contentus, Cæsari ma-  
 gnam, qua indigebat, pecuniæ summam  
 mutuo dedit, eamque ducentis quin-  
 quaginta aureorum millibus haud mi-  
 norem fuisse ferunt.

## §. C.

*Cæsar in Hispaniam delatus.*

*Idem ibid.*  
 p. 99.

Quinque omnino hebdomadas Caro-  
 lus in Anglia morabatur, quo tem-  
 poris spacio Anglorum affectum peni-  
 tus sibi conciliabat, simulque classis suæ,  
 qua in Hispanias veheretur, Præfectum  
 nominabat Surregiæ Comitem. Post-  
 modum Augustoduni de portu solvens de-  
 cimo navigationis die secundis velis in  
 Cantabriam pervenit. Desiderabat equi-  
 dem Adrianum Papam Barcinone ve-  
 nerari; rogavit enim illum, ut ibidem  
 eum præstolari ac filialis obsequii sui  
 homagium excipere velit. Verum A-  
 drianus suum in Italiam accessum ma-  
 turabat, veritus, ne Cæsaris colloqui-  
 um iter suum retardaret; unde arrepto  
 alio itinere, jamjam Barcinonem reli-  
 querat. Nihilominus priusquam disce-  
 deret, literas ad Cæsarem dedit, qui-  
 bus promptioris discessus sui causas ex-  
 posuit his verbis: „ Nil ardentius desi-  
 „ dero, quam Majestatem vestram in-  
 „ vise-

„ visere, in ejusque amplexus ruere, **Sæcul. XVI.**  
 „ id mihi antiquissimum est, ut te salu- **A. C. 1522.**  
 „ tato etiam reportatas victorias gratu-  
 „ lari, teque edocere possẽm de statu,  
 „ in quo reliqui Hispaniæ Regnum,  
 „ quod te absente rexeram: verum fau-  
 „ sta hac sorte privor, eoquod instant,  
 „ urgentque omnes, ut Romam protin-  
 „ nus contendam; cum ibidem præsen-  
 „ tia mea sit oppido necessaria, nihilo-  
 „ minus æque ibi ac in Hispaniis tibi u-  
 „ tilis esse potero, ceterum in tua æqui-  
 „ tate tantum confido, ut certo mihi  
 „ persuadeam, te nullatenus ægre ferre,  
 „ quod eo me conferam, quorsum me  
 „ muneris mei ratio advocat. „ Da-  
 „ tis hisce literis Reginæ Caroli Impera-  
 „ toris Matri valedixit, eidemque Regni  
 „ curam commendavit, nec minus ad ean-  
 „ dem quoque sollicitudinem Senatam,  
 „ supremum classis Præfectum, & Conne-  
 „ stabilem adhortatus est: paulopost ejus di-  
 „ scessum, cum Cæsar illuc adveniret, il-  
 „ li severam seditionis suæ pœnam time-  
 „ bant, qui Carolo absente conjuraverant.  
 „ Verum ille, quamvis ob hoc crimen  
 „ quam plurimi carceribus inclusi hære-  
 „ rent, nihilominus clementia motus non-  
 „ nisi eorum octo capite plecti voluit, qui  
 „ ob alia etiam scelera mortis supplicium  
 „ promeriti sunt, ceteris vero cunctis om-  
 „ nium culparum oblivionem concessit,

*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. M ex-*

**Sæcul. XVI.** exceptis centum octoginta, quibus ta-  
**A.C. 1522.** men paulopost itidem vitæ veniam in-  
 dulfit. Nec sine ingenti repugnantia Pe-  
 trum de Ayala Salvaterræ Comitem ex-  
 tremo supplicio addixit; verum tam e-  
 normia illius erant scelera, quæ ipsa  
 etiam generis sui nobilitas adeo atrociam  
 reddebat, ut clementiæ locum haud ul-  
 tra relinquerent.

## §. CI.

*Res in Italia durante hac expeditione.*

**P**essimo loco res in Italia erant, nam  
 Prosper Columna, cum æs militare  
 deficeret, potissimis exercitus sui copiis  
 missionem fecit, hinc Imperator ex pe-  
 cuniis, quas ab Angliæ Rege mutuas ac-  
 ceperat, inclinatas res haud parum ere-  
 xit; quippe aliquam dictæ summæ par-  
 tem Columnæ & Piscario transmisit,  
 quibus ambo Belliduces aucti Franci-  
 scum Sfortiam non tantum suo Ducatui,  
 sed ipsi etiam Medidolanensi urbi redde-  
 re aggrediebantur. Hanc in rem Hie-  
 ronymus Adornius operam suam obtu-  
 lit, ut Sfortiam adjuvaret, eumque  
 Tridento, ubi sextum jam in annum hæ-  
 serat, Mediolanum reduceret; enimve-  
 ro promissum suum non minori dexteri-  
 tate, quam successus felicitate executus  
 est; quippe cum Grisonum Respublica  
 tranli-

transitum denegaret, Bergomum ver- Sæcul. XVI.  
sus iter suum direxit, ac sex millibus A. C. 1522.  
Germanorum peditum conscriptis Sfor-  
tiam præfecit, ipse vero cum his copiis  
fese Cæsaris exercitui conjunxit, Lau-  
treco transitum ejus nullatenus remo-  
rante.

## §. CII.

*Gallorum exercitus sexdecim Helvetio-  
rum millibus auctus.*

Equidem Cæsarei nullum non move-  
bant lapidem, ut Helvetios a Gal-  
lorum stipendiis averterent, nihilomi-  
nus iidem sexdecim millium suppetias  
Lautreco submiserunt, quorum numero  
auctus fœderatis superior evasit. Duce-  
bant hasce Helvetiorum copias Sabau-  
diæ Nothus, magnus Franciæ Magister,  
Cabannius Marefcallus, & Galeatius  
Sanseverinas; Interea Fœderati tam  
valido hostium subsidio turbati, cunctas,  
quæ eis adhærebant urbes, deferere con-  
stituebant, ac earum duntaxat quatuor  
defendere parabant. Has inter erat No-  
varra, quam Philippus Tornellius cum  
duobus præfidiariorum millibus tueri  
promiserat, secunda fuit Alexandria,  
cui Hector Vicecomes cum mille quin-  
gentis peditibus præerat, reliquæ duæ  
erant Papia, ac civitas Mediolanensis,  
quarum primam Antonius de Leva cum  
duobus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522. duobus Italorum millibus totidemque Germanis propugnabat, in alteram vero sese incluserat Columna cum septingentis Cataphractis, totidemque levis armaturæ equitibus, ac duodecim peditem millibus.

## §. CIII.

*Latreucus Mediolanum movens, mox vero reversus.*

Eodem tempore Gallis adhucdum Mediolanensis arx parebat, quocirca Columna, ne illius præsidium subsidiis juvaretur, eam duplici vallo fossaque circumdare, ac exercitum suum intermedium collocare constituit. Nihilominus Latrecus urbi appropinquabat, hostium castra exploraturus. Verum ubi propugnacula valide munita cernebat, eaque vi superare desperabat, sese fugam proripere decrevit: Cum autem de fugæ suæ ratione meditabundus ibi hæret, Columna illum conspiciens tormentum, quod colubrinum vocant, aggeri impositum explodi iussit, cuius globo Marcus Antonius Columna Prosperi Nepos, ac Gallico levioris armaturæ Equitatus præfectus, necnon Camillus Trivultius Spurius ejusdem nominis Marcescalli filius trajecti occubuerunt.

Prius-

Priusquam vero Lautrecus sese reciperet, circum circa Pistrina destrui Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.  
jussit, urbem famis violentia ad dedicationem compulsurus. Hunc in finem aquarum cursum alio divertit, ratus, hac via hostium agmina brevi dispergenda, quibus peractis Cassani castra metabatur, cui etiam Joannes Medicæus tripeditem millia ac ducentos equites adduxit. Tunc primum Lautrecus nuncium acceperat, quod Franciscus Sfortia Tridento cum sex Germanorum peditem millibus abierit, ac Veronensi & Mantuana ditione obliquo itinere superata Placentiam venerit, eidemque Mantuæ Marchio cum suis Cataphractis sese adjunxerit, nilque propius fuerit, quam ut Papiam, ac demum prima, quæ sese offerret, opportuna occasione Mediolanum contenderet. Huic transitum intercludendi desiderium tam vehementer agitabat Lautrecum, ut castra movere decerneret.

## §. CIV.

*Morentiacus Lescuno Marefcallo  
occurrrens.*

Sub idem tempus nunciatum est Lautreco, quod Lescunus Marefcallus ejus Frater e Francia redux, necnon pecuniariis subsidiis auctus quosdam pedites

Sæcul. XVI  
A.C. 1522

dites Genuæ expositos secum adduceret, quapropter quantocius Morentiacum cum tribus Helvetiorum millibus, & mille Italis, necnon ducentis Cataphractis præmisit, dato negotio, ut Lescunum comitaretur, simulque Ticini transitum hisce copiis magis expeditum redderet. Ast haud exigui laboris opus erat, hoc mandatum exequi; Franciscus enim Sfortia jamjam Papiam adveniens, Morentiaci accessum exploratum habebat: Saluti tamen fuit, quod *Bucardus de Refugio*, qui Cataphractis imperabat, opportune Morentiaco sese conjungeret; præcipiti enim cursu, quo cum suis Bucardus advolabat, tam densas pulveris nubes fuscitaverat, ut Sfortia & Marchio Mantuanus totam Gallici exercitus molem sibi impendere arbitrati, Papiam sese reciperent.

## §. CV.

*Novarra a Morentiaco obsessa, captaque.*

**M**orentiacus impendens sibi periculum hoc pacto eluctatus, interea, donec Lescunus adventaret, Novarram versus movit, urbemque, arx enim adhuc Gallis subjecta erat, expugnare constituit; cum vero cives illam hac ex parte tot vallis fossisque firmassent, ut eam expugnandi

di nulla spes effet, adversus mœnia, quæ arci opponebantur, prægrandes duos tormentorum suggestus erigi iussit, brevique tanta muri ruina facta, ut Helvetii, deficientibus aliis peditibus assultum tentare juberentur, qui tamen nec iussis nec precibus flexi nullatenus obtemperabant: „ Non enim inquietabant, nisi in plena acie contra hostes dimicare obstructi sumus. „ Ergo Morentiacus Cataphractus suos, ut equis desilirent, jubere compulsus, ipse ante eos præibat, ac transcens muris urbem cepit, cunctis, qui in ea erant, aut promiscue trucidatis, aut captis: nec ulli vitæ gratiam fecerunt Galli, nisi Philippo Tornello civitatis Governatori, reliquos autem omnes jugularunt, ut Novarrensi crudelitatem plecterent, qua inscios Gallorum adhuc respirantium ventres avena replebant, ut exinde eorum equi pabulum fumerent. Post aliquot tempus ipse Lescunus Marescallus cum suo comitatu advenit, junctisque Baiardi Equitis & Morentiaci copiis Viglebanum in suam quoque potestatem redegit.

## §. CVI.

*Franciscus Sfortia in Mediolanensem urbem receptus.*

**I**nterea cum Prosper Columna nil certius

Sæcul. XVI.  
A C. 1522.



Sæcul. XVI

A. C. 1522

*Petr. de Ang.*  
*ep. 760.**Capella l. 2.*

tius haberet, quam quod Lautrecus ante Morentiaci adventum urbem minime aggressurus esset, Mediolano ad Sfortiam perscripsit, suadens, ut quanto citius cum sex Germanorum peditum millibus, quos secum ducebat, capta occasione urbem accederet. Ipse etiam Prosper medio itinere eidem obviam processit, ac Sfortiam excepit, cunctis civibus atque incolis in ingentes lætitiæ testificationes effusis; gaudebant enim omnes, quod rursus pristini Principis sui Filium recipere possent.

## §. CVII.

*Lautrecus ceptam Papiæ obsidionem solvere coactus.*

**H**is interim gestis Lautrecus castris Cassano motis ad Binasensem urbem, quæ Papiam & Mediolanum æquali spatio interfecat, substitit; nam hoc situ occupato Papiam facile armis suis subjiciendam existimabat; nuntiatum enim ei erat, urbem, cui Mantuanus Marchio præerat, nonnisi exiguo militum præsidio a Sfortia fuisse munitam: igitur pertormentorum vim satis amplo murorum hiatu patefacto, sui milites Venetis conjuncti assaltum tentant, sed non sine grandi suorum dispendio repelluntur, nec magis secundus arridebat  
suc-

successus alteræ irruptioni, quam ad Sæcul. XVI.  
 posticam prope Ticinum tentabant; ibi- A. C. 1522.  
 dem enim Roccaposius Sclopi globo in  
 crure vulneratus, & Riberacus omnino  
 occisus periit, idque factum est ex Cen-  
 turionis Columberii culpa; hic enim,  
 cum posticam aggredi juberetur, toto  
 certaminis tempore ad fluminis oram  
 otiosus substitit, perinde ac si Spectato-  
 ris duntaxat officium eidem fuisset de-  
 mandatum: Gallis itaque repulsis mille  
 Corsicani totidemque Hispani sequentis  
 noctis beneficio in urbem nemine ad-  
 vertente irreperunt, cum vero & ipse  
 Prosper Columna cum Cæsaris exercitu  
 eo adventaret, Lautrecus obsidionem  
 penitus solvere compellebatur, ac recta  
 Marinianum contendens, indeque Me-  
 diolanensis civitatis conspectum præter-  
 vectus, Monzæ, quæ exigua urbs est,  
 castra posuit, ut residuam pecuniæ sibi  
 ex Galliis transmissæ partem securius  
 reciperet.

## §. CVIII.

*Fœderatorum castra Bicocæ.*

Fœderati pecunias Lautreco submitti  
 forte edocti, e castris suis Anchisem  
 Vicecomitem cum expedita militum ma-  
 nu emittunt, dato negotio, ut hæc au-  
 ri subsidia interciperet: cum igitur quæ-

**Sæcul. XVI** stor militaris, ut transitum cum pecu-  
**A C. 1522.** niis tentaret, viribus impar esset, Aro-  
 næ subsistere cogebatur, non sine gravi  
 Gallorum damno; hæ enim pecuniæ ad  
 numeranda Helvetiis stipendia erant de-  
 stinatae, quibus non persolutis Helvetii  
 quatuor dierum inducias admittebant,  
 quo autem tempore elapso, acceptoque  
 interceptæ pecuniæ nuncio, eorum Bel-  
 liduces Lautrecum adierunt, postulan-  
 tes, ut vel stipendia solveret, vel missio-  
 nem concederet, aut saltem eos in pug-  
 nam adversus hostes duceret.

Eo tempore Fœderatorum exercitus  
 castra metabatur Bicocæ, quæ erat vil-  
 la tertio ab urbe Mediolanensi lapide dis-  
 sita, ubi amplum erat vivarium, quod  
 nullo negotio munimentis firmari po-  
 tuisset, præsertim cum illud aliunde lar-  
 ga admodum fossa cingeretur, quæ lo-  
 ci iniquitas abs dubio aggressionem sa-  
 tis difficilem reddidisset: quapropter Gal-  
 lorum Belliduces Helvetiis exponebant,  
 quod hostem tam opportuno loco muni-  
 tum aggredi, belli legibus recta adver-  
 saretur; cum nil certius quam clades  
 expectari posset, ceterum pecunias jam-  
 jam Aronam delatas quinto aut sexto die  
 abs omni periculo advehendas aiebant,  
 ut dein Fœderatorum copiæ amissa hu-  
 jus prædæ spe a signis dilapsuræ forent.

eo certius, cum Neo-electus Papa illis stipendia numerando impar esset, jamque duo fluxissent menses, e quibus Cæsar nullas in Italiam pecunias transmisisset.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.

## §. CIX.

*Galli ob Helvetiorum Seditionem ad pugnam coacti.*

Verum ad hæc Helvetii responsi loco nil aliud postulabant, quam vel pecunias vel missionem sibi dari, aut saltem ad pugnam educi; nilque amplius ab eis impetrari poterat, quam ut Lautreco totam posteram diem indulgerent, infra quem Bicocæ castra, hostemque explorare posset. Post hæc potissima Gallorum Belliducum pars in eam ibat sententiam, Helvetiis reditum in suam patriam esse concedendum, ceteras vero, quæ superessent, copias urbibus, quæ in Longobardia adhuc Gallis parerent, imponendas: Verum Lautrecus aliorum consilia sequi raro solitus, hostium castra aggredi statuit, eumque in finem Crequium de Pondormo exploratum misit: Ipse vero copias suas in tria divisit agmina, totidem in hostes impressiones tentaturus. Primam aciem unacum octo Helvetiorum millibus tuebatur Morentiacus, quem nonnulli Nobiles, qui inter primos ordines dimicabant, comitaban-

Mem. du Bel-  
lai l. 2.

**Sæcul. XVI.** tabantur. Medio autem agmini præe-  
**A.C. 1522** rat Lautrecus, cui Chabanius Marescal-  
 lus, & Sabaudixæ nothus parere iussi  
 sunt. Postremam denique aciem consti-  
 tuebant Veneti, qui nulli præter Urbi-  
 natis Ducem, qui ipsis præerat, obedi-  
 re voluerunt. Omnes autem has copias  
 præibat Petrus Navarrus cum suis Va-  
 sconum legionibus, multisque fossori-  
 bus, qui vias æquarent. Partitis ita  
**Guicc. l. 14.** curis Lescunus Marecallus ad lævam  
 declinans, circuitu facto Fœderatorum  
 pontem cum suis equitibus ex improvi-  
 so capere constituit, Helvetiis interim  
 recta ad munimenta properantibus:  
 Lautrecus autem ad dexterum cornu  
 procedebat, & Urbinatis Dux collem oc-  
 cupabat, ubi ab hostium incurſu tutus  
 erat. Refert Guicciardinus, Lescunum  
 iussisse, ut sui milites rubram Crucem  
 deferrent, hoc stratagemate Cæsareos,  
 qui itidem hac tessera utebantur, dece-  
 pturus, eisque persuasurus, perinde ac-  
 si in eorum auxilium accurrere vellet.

## §. CX.

*Pertinax Helvetiorum consilium de  
 prælio ineundo.*

**M. m du Bel.** Cum interea Prosper Columna per suos  
**lai l. 2.** exploratores Gallorum consilia e-  
 doceretur, Franciscum Sfortiam cum  
 suis

fuis sex Germanorum peditum millibus <sup>Sæcul XVI.</sup>  
 Mediolano ad se advocabat, reliquas <sup>A.C. 1522.</sup>  
 vero Fœderatorum copias in aciem col-  
 locabat, dato negotio, ut signa inferen-  
 tibus strenue resisterent. Jamjam Helve-  
 tii, qui Gallorum stipendia merebantur,  
 fossis colle tectis appropinquabant, sub-  
 sistere tamen iussi, donec tormenta ac  
 fossiores Navarrenses accederent, ac ip-  
 semet Lescunus ad præstitutam statio-  
 nem perveniret, ut postmodum uno eo-  
 demque tempore duplex in hostem irru-  
 ptio fieret.

## §. CXI.

*Tria Helvetiorum millia in prælio  
trucidata.*

Nihilominus Helvetii Gallorum mo-  
 nita furdis auribus excipientes fos-  
 sam, quæ obstabat, superare aggredi-  
 untur, ut exteriorem illius loricam tran-  
 scendere possent: cum vero toto corpo-  
 re tormentorum ictibus expositi essent,  
 priusquam fossam adorirentur, selectio-  
 ris militiæ viros amiserunt, ceteris om-  
 ni impetu in fossam irruentibus, quam  
 cum adeo profundam experirentur, ut  
 hastarum suarum cuspide vix aggeres  
 attingerent, illam superare minime pote-  
 rant, nihilo secius tamen mœnibus ob-  
 versam fossæ crepidinem aggredi nite-  
 bantur,

Secul. XVI.  
A.C. 1522. bantur, aut foederati, qui per aggestæ terræ  
foramina hostem irruentem sine discrimine conspiciebant, in eum tam certo ictu tormenta scloposque explodebant, ut nullus ferme globus vano conatu in humum innoxius caderet, adeo, ut rursus duo Helvetiorum millia cæsa fuerint, inter quos etiam numerabatur Albertus de Petra eorum Dux, præter quatuordecim Belli Præfectos animi fortitudine longe clarissimos. Pene immobiles steterant Helvetii, ludibriis eorum, a quibus occidebantur, exasperati, atque ægerrime ferentes, quod tunc nequidem per unius ex hostibus mortem suorum jacturam ulcisci possent, hinc diu in eodem vestigio stabant, donec præcipiti fuga locum sibi facerent.

## §. CXII.

*Bicocana Gallorum clades.*

**E**x altera parte Lescunus pontem, quem confecto circuitu aggredi decreverat, tam valide a Germanis pedibus per Sfortiam submissis munitum repererat, ut tanto hostium numero resistendo impar ad Lautrecum fratrem suum sese recipere cogeretur, non sine magno qua militum, quam Ducum dispendio. Tantæ cladis causa exstitit utriusque Gallici agminis socordia; eorum

rum enim Duces hostium vires alio con-  
 vertere, sicque Lescuni conatus juvare  
 neglexerant. Præterea Lautrecus Hel-  
 vetios, ut ad pugnam redirent, nullo  
 pacto permovere poterat, præterea ac-  
 cessit malorum cumulo, quod Urbina-  
 tis Dux Venetorum copias in quadam  
 statione adeo recondita teneret, ut hæ nec  
 Fœderatorum exercitum conspicerent,  
 nec ab eo conspici possent, quocirca a-  
 deo immobiles hærebant, perinde ac si  
 duntaxat certaminis spectatores, vel im-  
 pedimentorum custodes forent.

Sæcul. XVI  
 A.C. 1522.

Igitur hostes Helvetiorum metu li-  
 beri omnes exercitus vires tuendo ponti  
 impenderunt, ubi Lescunus equum glan-  
 de plumbea trajectum amisit, Montfor-  
 tius autem Comes natu major Comitis  
 de Valle Filius, Gravilla, Guichius,  
 Turnonus, Launayus, Roquelorius,  
 & Miolanes, omnes primæ nobilitatis  
 viri ceciderunt. Insuper Morentiacus  
 globi ictu in terram dejiciebatur, sed a  
 suis e prælio eductus ex vulneribus suis  
 convaluit. Hic fuit funestus exitus Bi-  
 cocanæ pugnæ die vigesima secunda A-  
 prilis commissæ, si tamen prælium ap-  
 pellari meretur, in quo Fœderati nequi-  
 dem ex suis munimentis prodibant, ac  
 tantam nihilominus stragem edebant,  
 ut ex quorundam Historicorum testimo-  
 nio

nio



Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.

nio in Gallorum exercitu omnino quinque millia occisorum numerata fuerint. Ex Fœderatis cecidit Petrus de Cordona Califari comes, Piscarii vero Marchionis filius, & Guastensis Marchio periculoso vulnere faucii erant. Post hæc Galli accepta hac clade ex Mediolani Ducatu penitus fuere ejecti, illiusque possessio Francisco Sfortiæ vindicata.

§. CXIII.

*Helvetii ad sua reversi.*

Postera die vigesima tertia Aprilis, quæ erat feria secunda post Dominicam *quasimodo*, Lautrecus Trezzum venit: sequenti vero die Helvetii in patriam suam reversi sunt, quos Gallici exercitus Dux, quamvis eorum discessum ægerrime ferret, raro tamen complacendi studio Buffarolum usque comitatus est, suoque equitatu eorum iter texit. Piscarius abeuntes insequi voluit, quem tamen Prosper Columna cohibuit, haud consultum ratus, ut victoria recens parta in discrimen adduceretur, minus vero ut Helvetiorum temeritas intempestiva virium fiducia acueretur. Ergo Helvetii servato militari ordine, ac sine ullo discrimine abierunt.

§. CXIV.

## §. CXIV.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1522.*Lauda, Comum, & Picelo a Fœderatis expugnata.*

Helvetiis ad sua reversis Lautrecus reliquis exercitus sui copiis urbes firmavit, atque ut Cremonam servaret, Laudam Pompejam valido præsidio munivit; nihilominus Bonnevallius Laudæ Pompæi Gubernator a Francisco Sfortia interceptus est. Hic enim tanto impetu urbem invasit, ut omnes ejus milites civitatem ingressi, non modo eam, sed quidquid in illa continebatur, suæ potestati subjicerent. Ex præsidiariis capti fuere trecenti cataphracti, ac ter mille pedites, qui omnes nequidem gladios adversus hostem stringebant. Dein continuato victoriæ cursu Piscarius itidem Comum in deditioem accepit, pactis quidem honestis conditionibus; Galli tamen, hoste urbem ingresso, violato gentium jure vasis omnibus exuti fuerunt. Præterea Picelonis Gubernator a Piscario vix provocatus, confestim urbis deditioem fecit.

## §. CXV.

*Cremona pactis conditionibus capta.*

Fœderati nec hisce victoriis contenti, ad nova felicitatis incrementa pro-

*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. N cede-*

**Sæc. XVI.** cedebant, urbemque Cremonensem cingebant. Illius Præfecturam Pontdormius jam antea Lescuno, qui cum Joanne Medicæo eo advenerat, cedere compellebatur, nec tamen ejus præsentia profuit, quominus Fœderati tanto impetu mœnia quaterent, ut Marefcallus pacisci compelleretur, se urbis deditorem facturum, nisi Galli infra trimestre, vel juxta Guicciardinum, intra quadraginta dies suppetias ferrent, quibus nullatenus submissis deditiois pacta executioni dabantur. Tandem nequid malorum cumulo deesset, hostis quoque Aronam occupavit, unacum pecuniis ex Francia transmisis, ibidemque affervatis. Insuper Veneti toti in eo erant, ut relictis Gallorum studiis in gratiam Cæsaris redirent.

**A. C. 1522.**

*Mem. du  
Bellai l. 2.*

*Guicc. l. 24.*

*Mezerai' ab-  
rege chron.  
tom. 4. p. 272.*

### §. CXVI.

#### *Genua a Fœderatis occupata.*

Cum igitur Lautrecus nonnisi quadringentos Lancearios, & Vasconum peditum nonnullos in suo exercitu numeraret, reliquam Mediolanensis Ducatus partem, quæ Gallis supererat, conservandi spem penitus abjecit, atque in hisce angustiis prehensus consilium cepit, ut nonnisi duobus domesticis stipatus in Franciam rediret, atque a nemi-

ne

ne cognitus sub alieno habitu per Hel-  
 veteriorum pagos transfret. Ergo Fratri Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.  
 suo Lescuno exigui hujus exercitus Im-  
 perium reliquit, cum vero Mediola-  
 nensis & Novarrensis arces, necnon  
 Cremonensis civitas nondum subactæ ef-  
 sent, earum Governatores etiam atque  
 etiam obsecrabat, ut Gallici nominis glo-  
 riam tuerentur. Verum necdum iter ag-  
 grediebatur, cum jamjam fatalis defertur  
 nuncius, Genuam a Prosperi Columnæ  
 exercitu fuisse captam. Urbs hæc eo  
 tempore extero Imperio haud subjecta  
 Octaviano Fregosio Duci suo parebat:  
 hic vero Gallorum partibus penitus ad-  
 dictus erat, nihilominus tamen Franci-  
 scus Rex Petrum Navarrum cum vali-  
 do Præsidio urbi præfecit.

Ast Cæsarei Genuam, quæ tamen Rayn. ann.  
1522. n. 14.  
 maritima ex parte ad Longobardiam ad-  
 ditum præbebat, Carolo Imperatori non-  
 dum esse subjectam, ægerrime ferentes,  
 Fregosium Ducem stimulabant, ut ad  
 Gallos urbe pellendos populum concitaret,  
 facta eisdem pollicitatione, liberum in  
 Franciam redeundi commeatum cunctis  
 concedendum. Annuisset lubenti prorsus  
 animo Fregosius, verum id ei haud amplius  
 integrum erat, eo quod eodem tempore  
 Petrus de Navarra cum duabus triremibus  
 ac ducentis

**Sæcul. XVI** circiter Gallis portum intrasset. Nihil  
**A.C. 1522.** tamen horum adventus profecerat, quip-  
 pe Benedictus Vivaldus, quem Piscari-  
 us miserat, adhucdum cum Duce collo-  
 quebatur, cum nonnulli Hispani milites  
 quibusdam agminibus uniti dirutam mu-  
 ri partem, quæ ob induciarum fiduci-  
 am haud custodita erat, animadverten-  
 tes subito patefactam ruinam occupa-  
 rent, murumque transcenderent, festi-  
 ve conclamantes: Victoria! Victoria!  
 mox aliis insequentibus, urbs assaltu ca-  
 pta, ac prædantium licentiæ relicta est.  
 Tanta erat spoliî aviditas, ut ne ipsis  
 quidem Ecclesiis reverentia haberetur,  
 & solum in hoc a Columna & Piscario  
 Victorum rabies cohibita esset, ut saltem  
 fæminarum corporibus vis ac libido par-  
 ceret, nec Genuensium ullus offende-  
 retur, ceterum omnes, quotquot fors,  
 casusque in manus dabat, Gallos pro-  
 miscuo interitu debebant, aut saltem ca-  
 ptivos abstrahabant. Dux quoque Fre-  
 gosius comprehensus, ac munere suo ex-  
 utus in Insula Ænaria includebatur, cui  
 dein ibidem fatiis functo Hieronymus  
 Adornius suffectus est.

## §. CXVII.

*Franciscus Rex ob hanc jacturam ve-  
 hementer afflictus.*

Postrema hæc clades paucas Mediola-  
 nensis

nenfis Ducatus reliquias tuendi spem **Sæcul. XVI:**  
 Francisco Galliarum Regi penitus adi- **A.C.1522.**  
 mebat, quocirca omnes revocabat co-  
 pias, quas eo miserat. Erant numero  
 sex peditum millia, & quadringenti Ca-  
 taphracti, quibus præerat Longevillanus  
 Dux. Hic Genuæ jacturam Villænovæ  
 in comitatu Astensi comperiens, inde  
 ad Regem scripsit, cujus epistolam Rex  
 ubi acceperant, confestim Duci in man-  
 datis dedit, ut cum copiis suis in Fran-  
 ciam rediret. Gallis ergo ad sua rever-  
 sis, protinus juxta factæ pactæ deditio-  
 nis leges Cremona Fœderatis cedeba-  
 tur, omnesque, qui ibidem præsidia a-  
 gebant, ad arcem sese recipiebant, cui  
 Bunonius præficiebatur, qui etiam il-  
 lam ultra unius anni spatium, donec  
 Bonnivetus Admiralis cum novis mili-  
 tum suppetiis in Italiam rediisset, stre-  
 nue propugnavit.

## §. CXVIII.

*Rex a Lautreco in Franciam reduce  
 de Mediolanensis Ducatus statu  
 certior factus.*

Interea Lautrecus in Franciam perve-  
 nit, de quo minime dubium est, quod  
 toto hujus belli tempore graves com-  
 miserit errores, cum ejus negligentia *Mem. du*  
 factum esset, ut Francisci Sfortiæ copias *Bellai l. 2.*

N 3

Pro-

Sæcul. XVI. Prospero Columnæ, & sex Germano-  
 A.C. 1522. rum peditum millia Cæsareo exercitui  
 jungerentur; præterea illi id vitio jure  
 vertitur, quod nullo apparatu ad ex-  
 pugnandum necessario instructus Papi-  
 am obsidere moliretur. Silentio præte-  
 rimus iniquas vexationes, quibus pa-  
 cis etiam tempore Mediolanenses exa-  
 gitabat; insuper his culpis accessit, quod  
 de se clare nimis ac magnifice sentiret,  
 hancque ob causam veteranorum Bel-  
 liducum consiliis nunquam aquiesceret;  
 (\*) Hæc sunt, quæ Lautreco crimini  
 dantur, ceterum haud diffiteri debe-  
 mus, sinistram ejus in Italia sortem po-  
 tissimum ortam fuisse ex eo, quod mi-  
 litare æs copiis non persolveretur, id  
 tamen nec Regis nec Lautreci culpa ac-  
 cidit; ille enim quadringenta aureorum  
 millia in Italiam mitti jussit, hic vero  
 hanc summam non recepit; tota igitur  
 culpa in Ludovicam de Sabaudia Regis  
 Matrem,

(\*) Spondanus ad annum 1521. num. 7.  
 ignominiosæ cladis causam in hæc Lautreci de-  
 licta conjicit, *Lautrecius, inquit, auctorita-  
 tem Apostolicam sibi assumens, Sacerdotia, qui-  
 bus vellet, demandabat, manus in bona Sacer-  
 dotum defunctorum injiciebat, quicquid ab Ro-  
 ma denunciabatur, contemnere consueverat. Ita  
 nempe Religionis contemptum Regnorum ja-  
 ctura consequitur.*

Matrem, ejusque avaritiam rejicitur, **Sæcul. XVI.**  
 quæ utpote Lautreco Gallici exercitus **A.C. 1522.**  
 Duci infensissima hasce pecunias a Ja-  
 cobo de Belna Semblancaieni Toparcha  
 ac Regii ærarii Præfecto repetiit.

## §. CXIX.

*Lautrecus a Rege minus benigne  
 exceptus.*

Ut res se habuerit, id certum est,  
 Lautrecum nonnisi ægerrime a Fran-  
 cisco Rege ad alloquium fuisse admissum,  
 tandem vero prævalente Connestabilis  
 auctoritate ad plenum Senatum intro-  
 ductus, coram Rege imperterrite com-  
 paruit. Increpabat Rex ante omnia Lau-  
 trecum, dicebatque, benigno Regis a-  
 spectu indignus est vir, cujus culpa no-  
 bilissimus Christiani orbis Ducatus est a-  
 missus. Ne id quidem, reposuit Lautre-  
 cus, diffiteor, Rex potentissime, hujus  
 tamen jacturæ caussa unica extitit Re-  
 gia tua Majestas; nam integro sesqui-  
 anno exercitum tuum nullo accepto sti-  
 pendio alui, cum vero Helvetiis æs mi-  
 litare non solveretur, ab eis compulsus  
 Bicocanum commisi prælium, de fini-  
 stro ejus exitu, hostisque victoria pro-  
 be præscius, ast ab Helvetiis pugnam  
 inire coactus fui; secus enim signa de-  
 seruissent. Rex hoc fermone stupefa-  
 ctus



**Sæcul. XVI** ctus respondit, quod quadraginta aureo-  
**A. C. 1522.** rum millia pro stipendiis exercitui suo  
 solvendis transmiserit, cui protinus re-  
 posuit Lautrecus, sibi quidem hujus  
 summæ spem datis literis fuisse factam,  
 nunquam tamen pecunias accepisse. Ad  
 hæc Rex ira commotus Semblancaium  
 accersiri iussit, ut de quadringentis mil-  
 libus aureorum, quos ad exercitum in  
 Italiam mittere debebat, rationem red-  
 deret. Hic ingenue rem fassus, hanc  
 summam, inquit, eodem die, quo Me-  
 diolani numeranda constituebatur, Re-  
 gina retinuit, ut exinde pretium ferret,  
 quod tum ex pensionum & congiarii ti-  
 tulo, tum ex Valesii, Turoniæ & An-  
 degaviæ ducatus, qui hæreditaria  
 illius portio erant, eidem debebatur, cum  
 vero eidem exponerem, quod hoc pa-  
 cto Regni ærarium exhauriret, illa ex-  
 cidium mihi minitata est, nisi ejus vo-  
 tis satisfacere, simulque fidem fecit,  
 satis sibi auctoritatis esse, ut me ab om-  
 ni periculo immunem redderet; sola e-  
 nim ejus apocha tutum me fore aje-  
 bat (\*).

§. CXX.

(\*) Ægre admodum hæc cum illis, quæ  
 §. CVII. & CVIII. relata fuere, conciliari po-  
 terunt; si enim pro Helvetiorum stipendiis hæc  
 pecuniæ fuerunt missæ, ac jamjam Aronam us-  
 que

*Ærarii Præfectus per Reginæ malitiam condemnatus.*

**H**is perceptis Rex, ut de rei ferie plenius edoceret, unacum Semblancaio Matris suæ cubile ingrediebatur, qua præfente Præfectus, quæ mox Regi dixerat, cuncta repetiit. Illa vero tam vehementi ira commovebatur, ut Semblancaium mendacii redargueret, atque innocentiam suam a viro adeo temerario attentatam vindicari, a Filio suo postularet. Verum cum nil antiquius sit in ejusmodi eventibus, quam quod magnorum Principum tonitura debiliores feriant, ita etiam Semblancaius in anteriori Regis cubili comprehenditur, & Præfatus Cancellarius Reginæ amicus, ac occultus Præfecti hostis rem eo deduxit, ut Rex judices deputaret, qui adversus Semblancaium judicii acta instruerent, quamvis accusatus se a nemine nisi a

*De Thou hist.**l. 1**Belcar. l. 17**Mem. du Bel-**lai l. 2.*

N 5

con-

que fuere delatæ, primumque ab hoste in Mediolanensi Ducatu interceptæ, vel Regina injuste accusatur, quod in Galliis has pecunias sibi vendicaverit, vel per fraudem, & mendacium Gallorum Belliduces Helvetiis exponebant, pecunias jamjam Aronam delatas esse, ac quinto vel sexto die absque omni periculo ad eorum castra advehendas.

**Sæcul. XVI.** congregata Parlamenti curia judicari  
A. C. 1522 posse, allegatis privilegii sui tabulis con-  
 testaretur. Discussa tamen caussa pro-  
 nunciatur sententia, qua Semblancaius  
 peculatus crimini obnoxius declaratur,  
 & tandem morti adjudicatur, sive id  
 factum, quod iudices mitiori supplicio  
 Reginae indignationem sibi accersere ti-  
 merent, sive illorum animis ea infede-  
 rit opinio, absque perfidiæ noxa haud  
 diu Regum æraria administrari posse.

## §. CXXI.

*Fons rapidus ab Hispanis obsidione  
 cinctus.*

*Joan. Ant.  
 Vera hist. de  
 Charles V.  
 p. 82.*

Interea Franciscus I. Bonnivetum Ad-  
 miralem Fonterabia seu Fonte-rapi-  
 do, cujus Gubernator erat, evocabat,  
 in ejusque locum Lusdi Comitem sub-  
 rogabat: Verum Admirale vix inde pro-  
 fecto Hispani cum valido exercitu adve-  
 niunt, urbem recuperaturi, quam cum  
 propter obfirmatam Comitis constan-  
 tiam vi expugnare desperarent, famis  
 violentia depopulari statuerunt. Jam  
 integer annus effluxerat, quo urbem as-  
 fidue cinxerant, eoque intervallo aut  
 famis, aut morborum injuria plurimos  
 abstulerat, adeo, ut ex quatuor milli-  
 bus, quibus urbis præsidium constabat,  
 nequi-

nequidem trecenti superessent. Tan-  
dem vero Franciscus ex doloris vi, qua  
ob Mediolanensis Ducatus jacturam op-  
primebatur, animum erigens, Castel-  
lionem Marefcallum cum valido agmine  
Fonterabiam decrevit, ut laboranti ur-  
bi suppetiasferret. Ast hoc Belliduce  
Daggæ in itinere satis functo, exeunte  
hoc anno Chabannius Marefcallus in de-  
functi locum suffectus est.

## §. CXXII.

*Hispani obsidionem solvere, a Chaban-  
nio compulsi.*

Igitur Chabannius usque ad Vedassum  
Flumen processit, ibidem Gallicam  
classem præstolaturus, quæ sub auspi-  
ciis Latricii Britanniae Pro-Admiralis  
terrestri militiæ expeditionem promo-  
veret. Attamen classis opportuno tem-  
pore non advenerat, nihilominus Cha-  
bannius Hispanorum aggeribus appro-  
pinquans, eos vi superavit, ac hoste  
pedem referente liberum ad urbem adi-  
tum nactus est, quam cum incolis ferme  
vacuam reperiret, commeatu sollicitè  
advecto instruere curavit, quo facto Lus-  
dus Comes ad Franciæ aulam honores  
fortitudini suæ debitos recepturus rediit,  
postquam in sui ipsius locum Frangetum  
centuriæ Castellionensis Procenturio-  
nem

Sæcul. XVI.  
A. C. 1522.

Sæcul. XVI. nem urbi præfecerat, qui tamen pessime officio suo functus est.  
A.C. 1522.

## §. CXXIII.

*Copiarum Imperialium & Anglorum expeditiones in Picardia & Campania.*

*Polyd. Virgil. hist. Ang. l. 27. Mem du Bel. lai l. 2.*

Cæsar ubi in Hispaniam perveniens Fonterabiæ obsidionem solutam compererat, ingentem exinde dolorem concepit, eo potissimum nomine, quod Angliæ Rex Hispanis præsto esse, Gallosque ex urbe mutuis auxiliis propellere promississet. Nihilominus Angli ad aliam expeditionem vires suas Cæsareis jungebant, Picardiam & Campaniam unitis armis invadentes: Attamen nullo singulari facinore sese illustres reddebant, quamvis ambo hi exercitus, ex quibus Cæsareo Bureus Comes, Anglico vero Surregiæ Comes præerat, Gallorum copiis tanto numero Superiores essent, ut Vindocinensis Dux, qui Picardiæ præfectus erat, illis resistendo impar haud amplius efficere posset, quam ut urbibus valido præsidio munitis cum expedita suorum manu hostem continenti levique prælio lacefferet: Cum vero ambo hi Belliduces in mense Septembri Hedenæ urbis obsidionem pararent, Franciscus Galliarum Rex, ut pecunias conquireret, nil intentatum, inausumque relinquere compellebatur. Ergo præprij  
 mis

mis regios census in Lotharingæ Ducis favore alienavit, atque in eundem Bavillæ & Castri Morellæ Principatus emptionis jure transtulit, hancque in rem diploma Regium expediri jussit, nequam reclamante Parisiensi Parlamento, ac ærarii Curia; Regis enim voluntati omnino obtemperandum erat. Præterea singulis ferme diebus justitiæ officia vendidit, ac nova etiam eaque quamplurima, quibus tamen Franciæ Monarchia per undecim omnino sæcula & amplius facile carebat, instituit tribunalia, vestigalia auxit, novaque varii generis tributa adinvenit: quinimo a sepulcro S. Martini Turonensis clathrum abstulit argenteum, quod a Ludovico XI. apponi jussum sexies mille septingentas septuaginta sex marchas argenti ponderabat, illudque ad monetæ officinam deferri præcepit, ut inde nummi cuderentur, quorum averfa pars figuram hujus clathri exhibebat. Ferunt, Regem ex Cancellarii sui consilio hoc facinus attentasse.

## §. CXXIV.

*Hedenæ obsidio ab Anglis soluta.*

Jam quinto aut sexto ferme mense Anglorum exercitus Hedenam urbem incassum oppugnabat; Vindocinensis enim Comes opportune introducebat Biczium, Socurium & Landium, tres Bel-  
lidu-

Sæcul. XVI.

A.C. 1522.

*Daniel. hist.**de Franc. t. 5.**p. 488. & t. 6.**edit. 1719.**Gervais. vie**de S. Mart.**p. 328. &**331.**De Rapin.**Thoiras hist.**Ang. tom V.**vit Henrici**VIII. p. 166.*

Sæcul. XVI  
A. C. 1522.

liduces animi fortitudine, ac militari experientia longe clarissimos. Hi quadraginta duobus omnino diebus, totoque obsidionis tempore oppugnantium impetus tam invicta virtute sustinebant, ut Cæsarei Anglique recedere compellerentur, cum eorum exercitus ob transfugarum numerum vix mediam suorum partem ultra recenseret, ac reliqui nocturnis, iisque assiduis pluviis vexati in tentoriis suis cubare haud amplius possent: Igitur Bureus Cæsareorum Dux in Flandriam revertebatur, Suregiæ autem Comes exeunte Octobri factis velis in Angliam remeare constituit; ambo quidem prius ad urbem Corbeiam exercitum admoverunt, cujus tamen obsidionem aggredi non audebant, eo quod illam arte ac natura munitissimam, præsidiarios vero extrema quæque perpeti paratos cernerent. Nihilominus Durlentium pagosque circum vicinos continenti incendio absumpserunt, quo facto eorum expeditio finem habuit, adeo, ut cuncta Cæsaris Regisque Angliæ molimina durante hoc bello parum funesta fuissent Francisco Galliarum Regi, nisi ipsemet sua pecunias pro alendo exercitu necessarias subministrandi negligentia sinistra armorum successus in Italia auctor extitisset.

HISTO-